BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
160
A
2224

Digitized by Google

Digitized by Google

VAI 1526384

DE SUBLIMI IN EVANGELIO CHRISTI JUXTA DIVINAM VERBI INCARNATI OECONOMIAM.

AUCTORE

MARTINO GERBERTO

MONASTERII ET CONGREGATIONIS S. BLASII IN SILVA NIGRA ABBATE S. Q. R. I. P.

TOMUS I.

TYPIS SAN-BLASIANIS 1793.

Digitized by Google

Digitized by Google

VENERABILIBUS, RELIGIOSIS,

DILECTISSIMIS IN CHRISTO

PATRIBUS

CAPITULARIBUS

MONASTERII

AC

CONGREGATIONIS

D. BLASII

IN SILVA NIGRA

D. D. D.

MAURITIUS ABBAS.

Digitized by Google

PARÆNETICA
AD
EOSDEM.

Non una mihi ratio fuit, ut præsens Opusculum *de ſublimi in Evangelio Christi iuxta Verbi incarnati œconomiam*, quod MARTINI II. Abbatis nostri nuperrime defuncti posthumum eſt, Vestro potisſimum Nomini dicarem. Inprimis enim

immortalis memoriæ præsul ſtatim; ut manus operi admovit, id consilii ceperat, anno proxime imminente ſacerdotii ſui iubilæo, expleturus. Pietatis ergo officium erat, ut, qui vestris ſuffragiis in dignitatem ſuccedere compulsus ſum, ultimæ Eius voluntati, quasi testamento relictæ ac consignatæ obtemperem: gratitudinis vero, ut Antistitis de congregatione nostra innumeris nominibus quam optime meriti, memoriam in animis vestris nunquam delendam perennemque reddere ſatagam; id haud facilius, ut mihi quidem videbatur, effecturus, quam si ultima Patris optimi ad cœlum properantis verba oculis vestris obiicerem, vulnere nondum obducto, quod transitus omnium cordibus inflixit. Deinde ipsum gravissimum munus, quod in humeros meos devolvistis, eiusmodi est, ut digne a me administrari non posse existimaverim, nisi primas curas eo converterem, ut quantum vos diligam, quantumve ſingulos vestrum Christo lucrifacere cupiam, publico ex testimonio intelligeretis. Eum enim in ſcopum ſublimem ſingula libri dogmata collineare, instituta ſedula lectione facile percipietis, quamquam piissimus Author, ut erat modestissimus atque ab omni ostentatione

alienus, ſtylo plumbeo in ſcheda ſeparata ſcripserit, se *animo potius aliorum, qui in ſtudio magis versati ſunt, diligentiam ſtimulandi*, præsens opus elucubrasse, *quod ego tandem ſenex*, modeste pergit, *cum iam Deus ſigna mortis appropinquantis apoplectico insultu leviori quidem mihi dedisset, excolere cœpi, cæteris ſtudiis et occupationibus ſepositis, quibus per totam fere vitam ſum distractus.*

Piissimus itaque Pater noster, quum deinceps filiorum animos se verbis excitare ad ſacratiora ſtudia haud posse prævideret, ſcriptis id agere atque adeo monitis perennibus constituit; probe gnarus, non aliud æque litterarum genus repurgandis, excolendis ac elevandis hominum mentibus magis esse aptum, atque continuam ſacræ ſcripturæ lectionem meditationemque: quam unam fere veterum monachorum, ascetarumque fuisse occupationem perbene nostis, qui dum pura ſimplicique mente ad eam accesserunt, tantum inde tulere fructum, ut non modo cum morum ſanctitate tum ſcientiæ laude in Ecclesia Dei tanquam luminaria magna inclaruerint, ſed plurimi etiam in hierarcharum adlecti ordinem hæresum confutatione ac

morum reformatione vineam Domini egregie colere atque ampliare quiverint. Quod dum ſtudium medio præſertim ævo langueſcere cœpit, mirum non eſt, ſcolaſticas tricas, ſpinoſas quæſtiones, vanaſque altercationes unacum disciplinæ relaxatione fuiſſe invectas, iis ſimillimas, a quibus ut ſibi caveat Titus, gentium Apoſtolus monuit. Tit. III. 9.

Id vero ad nos propius, hoc præſertim tempore attinet, utpote in partem ſolicitudinis paſtoralis vocatos, atque ad curam animarum gerendam deſtinatos: A quo graviſſimo officio quum pauci noſtrum eximantur, neceſſum prorſus eſt, ut ſinguli in ſacrarum litterarum ſtudio dies noctesque ſeſe exerceant, atque ita ſalvatoris noſtri, non propria dogmata, non ſe ipſos, ſed Jeſum Chriſtum et hunc crucifixum ovibus ſibi commiſſis prædicare diſcant, quas tamdiu, ut cum Paulo loquamur, parturire tenentur, donec Chriſtus formetur in eis: Nam *omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* II. Timoth. III. 16. 17. Quod præſertim

de Evangelio paucis enuntiat S. Paulus: *Non erubeſco*, inquiens, *Evangelium. Virtus enim Dei est ad ſalutem omni credenti.* Rom. I. 16.

Jam vero Confratres Venerandissimi! oculos animosque vestros in præsentium temporum communem calamitatem atque ſumma pericula convertite, e quibus non ſolum Eccleſiæ, ſed reipublicæ etiam extrema quævis imminent. Ea namque, pro dolor! vivimus tempora, de quibus Princeps Apostolorum, *venient*, inquit, *in novissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes, ubi est promiſsio aut adventus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perseverant ab initio creaturæ*, II. Pet. III. 3. 4. Quæ in cœtum pseudophilosophorum aperte quadrant, quos inde a duobus iam ſæculis, iusto irati Numinis iudicio, orcus evomuit, lue ſua pestifera omnem ætatem ac ſexum utrumque inficientes; a qua D. Paulum Colossenses his præmonuisse arbitror: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, et inanem fallaciam.* Coloss. II. 8.

Parum ſibi præstitisse viderentur huius furfuris homines, si hæresim tantum

ſtabilirent, aut ſchismate Eccleſiam ſcinderent. Ipsum Atheismum publicis in Conventibus celebrant, laudesque impias avidissime captant, quas misera atque ſeducta plebecula plausibus detestandis in ſcelestos præcones ubertim adcumulat. Templa Deo vivo et vero ſacra in mausolæa ſceleratorum conversa dolemus, ſacerdotes ſuo muneri fideles crudelissime aut trucidatos, aut in antra tenebricosa et fœtida coniectos, ultra limites patriæ proiectos, ſine certa iam ſede *circumeuntes egentes, angustiatos, afflictos, quibus dignus non erat mundus*, Heb. XI. 37. 38. Spoliatur Eccleſia auctoritate legitima, hierarchæ, a Spiritu ſancto ut eam regerent, constituti, ſuis exuuntur iuribus, divina humanaque permiscentur, atque dum fræna laxantur criminibus, ipsa regna dehiscunt et corruunt.

Frustra malo ingruenti aggerem humana ratio opponit, ſolaque ſuperest religio, quæ vulneri vix non desperato medeatur. Ac profecto, Divinum ſalvatorem Apostolos ſuos haud aliis armis, quam Evangelii dogmatibus instructos in universum qua late patet orbem, densissimis idololatriæ tenebris ac criminum fæ-

ce ſepultum, ablegasse novimus; miramurque brevi temporis ſpatio renovatam fuisse faciem terræ; illapsis cœlestis doctrinæ radiis, tyranni quamvis obstreperent ac ſævirent, philosophi disceptarent, riderent, argutarentur. Nempe, *quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia et contemtibilia elegit Deus, et ea, quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.* I. Cor. I. 27.

Eadem igitur arma iterum capessenda ſunt, quibus Apostoli orbem universum ſub ſuave Jesu Christi iugum miserunt, ac ſcite tractanda. Hoc quidem opus, hic labor est. Verum non desunt ſubsidia, multis ſumtibus a MARTINO nostro undique comparata, quibus in ſecretiora Divini Verbi adyta penetrare poteritis, assiduam exercitationem nisi abhorreatis.

Neque vos deterreat ſacrarum litterarum ſublimis dicendi ratio atque Divina prorsus in ſententiis maiestas, vel ab ipsis christianæ religionis iuratis hostibus celebrata (vid. J. J. Rousseau in Emil.)

habent enim amœnam quamdam, Deo dignam, mortalibusque non adſequendam ſimplicitatem coniunctam, quæ alliciat. Spes fructus amplissimi Vos erigat, quem nec ærugo nec tinea corrumpet. Simile nimirum est Verbum Dei grano ſinapis, quod quamvis minimum, in arborem tamen temporum decurſu excrescit, atque ramis exporrectis vago volucrum cætui asylum præbet. Contemnatur licet, derideaturque, fieri ſane non potest, quin fructus demum uberrimos ferat, tam Ecclesiæ, quam reipublicæ ſalubres, præcipue in cordibus teneræ iuventutis ſatum.

Cessabunt mala, quibus premimur, quæque irreligiosa et effrænis ſentiendi, ſcribendique libido in mundum invexit, redibit pax aurea et morum probitas, ſuum cuique tribuetur, iam ipsis ſummis principibus in id intentis, ut religioni debitus exhibeatur honor, ac hierarcharum iura postliminio revocentur.

Verum quum *neque qui plantat, ſit aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, I. Cor. XIV. 7.; atque *omne datum optimum, et omne donum perfectum*

deſurſum ſit, deſcendens a patre luminum, Jacob. I. 17. Divini illius ſpiritus, qui ſacrorum librorum ſcriptores divinitatis ſuæ radiis illustravit, illapsum precibus ferventiſſimis exposcite. *Si quis* enim *vestrum indiget ſapientia*, rursus ait S. Jacobus ibid. ℣. 5. etc., *postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans; qui enim hæsitat, ſimilis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.* Quod ultimum ne fiat, vestraque frustretur oratio, vehementer vos exhortor obtestorque, ut Divinum volumen non profana quadam manu tractetis, aut vana ſciendi prurigine incitati ad ſacrorum oraculorum lectionem accedatis, ſed iusto ordine ac ea omnino animi ſimplicitate et ſubmiſſione ſacras paginas meditemini, quam Divini ſpiritus gratia requirit, et ſancta mater Eccleſia in ſacra ſynodo Tridentina ſeſs. LV. vobis commendat in Canone a MARTINO nostro in præfatione citato.

Quæ cum præstiteritis Confratres dilectiſſimi! etiam pro me preces conti-

nuas ardenteſque ad Cœlum mittite, ut Divini ſpiritus gratia perluſtratus, eiusque inflammatus amore in lege Domini diu noctuque meditando boni paſtoris officio plene perfungar, atque una vobiscum, qui ovium mearum præcipua pars eſtis, eo pertingam, ubi unum erit ovile, et unus paſtor; qui omnium laborum noſtrorum unicus finis eſto.

Dabam in D. Blaſii. VIII. Id. Junii A. R. S. MDCCXCIII.

PRÆ-

PRÆFATIO AUCTORIS.

Nullo non tempore S. Scriptura abuſi ſunt hæretici; ludibrio eam habuerunt, exploſeruntque chriſtiani nominis hoſtes, a fide alieni, vel apoſtatæ. Hi cum ſint a SS. Patribus refutati; eorum tamen antiqua crambes recocta eſt ætate hac poſteriori. Nec unquam tantopere debachatum eſt, quam præſenti ſæculo hoc, quod tanta luce perfuſum hodie ubique buccinatur, ingeminantque ſibi ſuffeni illi, quibus nihil accommodatius eſt illis Chriſti verbis (Luc. XI. 35.): *Vide, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint;* queis Chriſtus Phariſæos perſtringit, qui indignati, quod ſe in mundum veniſſe diceret (Jo. IX. 39. etc.): *ut, qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant*, eum interpellare auſi ſunt, ac dicere: *Nunquid et nos cæci ſumus?* quibus ille: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis: Quia videmus, ideo peccatum veſtrum manet.* Eo autem res hodie deducta eſt, ut fuerint, quibus omnia ſic iam eſſe intellectui humano perſpicua reddita ſunt viſa, ut brevi ſaltem revelationis lux ſit futura ſupervacanea. Horret dicere animus, in quas delapſi ſint eiusmodi hominum portenta blaſphemias, quas quidem ſuo nomine non omnes evomere ſunt auſi: dum interim nihil religioni ducitur, impune talia luci publicæ dari, nec profanari ſolum, verum etiam deſpectui, irriſui, ac ludibrio exponi Verbum divinum, atque proſtitui exemplo peſſimo indicioque luctuoſo, quam male, ac perverſe cuiusque arbitrio, atque libi-

dini S. Scripturæ interpretatio fuerit relicta, cum econtra religioſe ac ſaluberrime S. ſynodus Tridentina ſess. IV. „ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, et morum ad ædificationem doctrinæ chriſtianæ pertinentium S. Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, et tenet ſancta mater Eccleſia; cuius eſt iudicare de vero ſenſu, et interpretatione ſcripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat.“

Ad hanc amuſſim, ac regulam inſtituimus ſequens de ſublimi (decerptis concinnatiſque ex Evangelio Chriſti floſculis) ſyntagma, mutuato quidem a ſcriptore gentili Dionyſio Longino ex parte titulo, qui vero in ſuo libello περὶ ὕψȣς λογȣ *de ſublimi genere orationis* ipſus exemplo ex prima ſtatim ſcripturæ ſacræ pagina eſt uſus. Poſtquam enim ſect. VII. ſeu cap. IX. (quod alii primum ſtatuunt, quæ præcedunt introductionis loco habentes) inter alia exemplo Neptuni, quem Homerus magnifice in undis procedentem deſcribit τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον, quod eſt in ipſa mente, ſeu cogitatione ſublime, oculis expoſuiſſet, ad rem ex primo Geneſis capite, quo Moyſes opus ſex dierum creationis deſcribit, in exemplum affert verba hæc: *Fiat lux, et facta eſt: Fiat terra, et facta eſt.* Quæ maiorem in textu originali emphaſin habent, a P. Carl. Lanceloto S. Mauriano in noviſſima Longini editione Ratiſbonæ an. 1775. facta in verſione gallica ſic expreſſa: *Que la lumière ſoit, et la lumière fut: que la terre paroiſſe, et la terre parut.*

Ad dirimendam controverſiam, quæ circa τῶ ὕψος, ſeu ſublime huius loci inter Dan. Huetium, et Nicl. Boileau, qui Longinum cum notis gallice edidit, mota est, quamque post mortem utriusque J. Clericus est proſecutus, facere potest ipsa inſcriptio Longini *de ſublimi genere orationis.* Hocque est, quod Huetius, eiusque hyperaspites J. Clericus maxime contra το ὕψος huius loci urget ex toto contextu nimirum orationis, ac dicendi genere prorsus ſimplici, quod ſibi Moyses in ſua narratione propoſuerat. Et licet Huetius inter quatuor τῶ ὕψυς genera in vocibus ſcilicet, earumque compoſitione periodica, cogitationibus, et rebus, ultimum non utique diffiteatur in rerum creatione; quia tamen ſtilum orationis attendit, adduci non potuit, ut ſublime in loco quæstionis agnoſceret: dum tamen Dionysius ubi de prima tunc agit ſpecie ſublimis in cogitatione περὶ νοησεως, postquam edixisset, ſublimitatem esse tanquam imaginem, quæ animi magnitudinem referat; inde fieri asserit, *ut interdum etiam admiremur nudam absque voce, et per ſe ſententiam ob illam ipſam nempe animi magnitudinem, ut verbi gratia* Aiacis in Necya ſilentium magnum, et quavis oratione ſublimius.

Non is quidem ego ſum, qui cum Boileau omnia quatuor ſublimis genera in verbis Moyſis ad tuendum ſuſcipiam. Quis tamen divinum illud τὸ Θεῖον in narratione de creatione rerum ad nutum divini Numinis tam nativa ſimplicitate a Moyse expressum non admirabundus adoret, et cum Psalmista exultans in Domino exclamet: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum . . . quoniam ipſe dixit, et facta ſunt, ipſe mandavit, et creata ſunt.*

Sublime porro hoc in divinis rebus extollit potius, quam deprimit ſtili, ſermoniſque ſimplicitas, qua non ſolum res maximas in ſacris ſcripturis expreſſas legimus, tam veteris, quam novi teſtamenti, verum etiam a Chriſto in apoſtolis piſcatoribus adoptatam ſtupemus tanta præſtitiſſe in tam ſubita converſione orbis. „Hinc ergo, ut cum S. Jo. Chryſoſt. Hom. II. in Jo. T. VIII. p. 10. etc. loquar, et omni ex parte liquet, nihil humanum ab ipſo, ſed divina, et cœleſtia eſſe dogmata, quæ a divina illa anima ad nos pervenerunt. Neque enim verborum ſtrepitum, non dictionis fucum, neque nominum, verborumque ornatum, et compoſitionem ſuperfluam, vel inutilem videbimus, hæc quippe procul ſunt ab omni philoſophia; ſed vim invictam, et divinam, et rectorum dogmatum immenſam virtutem, innumerabiliumque bonorum largitatem. “

Dionys. Longino, qui ipſe in definiendo ſublimi non ſatis ſibi convenit, ac fluctuat, Cæcilius περὶ ὕψȣς deperditus autor *ſerpere humi viſus eſt infra ſubiecti totius dignitatem*, ut mox in exordio ſermonis loquitur Longinus, quod ταπεινότερον P. Lancelotus in nota non tam de ſermone, ſeu ſtilo putat intelligendum, quam de ipſa natura rerum perperam mentientium nomen τȣ̃ ὕψȣς. Nihil non agit Lancelotus in præfatione ipſo Longini libello longiore, ut divinam prorſus eidem affingat, ad ipſum Deum efferendo intentionem mentis, qui

Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, et erectos ad ſydera tollere vultus:

Ac si in illa magnitudine animi ſtatuat ſublime,

qua immortali anima præditus homo, atque ad divina natus ultra res creatas, ac caducas animo ſeſe effert. Quo quidem exemplo Longinus ſect. V. ſeu cap. VII. utitur: „Sciendum chariſſime, Terentianum ſuum alloquitur, quod quemadmodum in communi vita nihil est magnum, cuius contemtus magnum quid reputetur, ut verbi gratia divitiæ, honores, decora regna, et quæcunque Hercle alia tragicum faſtum extrinſecus adhibitum multum præſeferunt, non utique prudenti viro bona eximia videantur, quorum deſpectus bonum non mediocre cenſeatur. In maiore igitur admiratione et pretio iis, qui hæc ipſa poſſident, illi ſunt, qui quum hæc ipſa habere poſſunt, qua ſunt animi magnitudine, tamen deſpiciunt. Ita de elatis, et ſublimibus in poëmatibus, et orationibus ſtatuendum, videndumque, quamdam magnitudinis phantaſiam præſeferentia, (cui ſæpe adhæreſcit temere quippiam affictum) ſi interim explicentur, inflata, et inania deprehendantur, quæ contemnere, quam mirari, et ſuſpicere generoſius ſit." Demum ſect. XXXII. „eos, quorum exemplis utitur laudans, a peccandi immunitate longe quidem remotos tantos viros agnoſcit, nihilominus tamen omnes, quod caducum, et mortale est, ſuperare, atque quod ad alia quidem attinet, eos, a quibus uſurpantur, arguunt homines tantum, ſublimitas vero proxime ad Dei evehit maieſtatem." Niſi temerarium ſit, ſpectata rerum ſublimitate, non ſermonis tantum huic adplicari poſſe videantur illa ad iuvenem verba Jeſu Chriſti, *non es longe a regno Dei*, qui regnum ſuum ut in hac etiamnum vita conſtitueret, in mundum venit, denuncians nobis, atque conſtituens τὸ ὕψος ſublime illud

in Evangelio ſuo, cuius in præſenti opere ſpecimina quædam ſelecta damus. Cum his vero quid in comparationem venire queat ex iis omnibus, in quibus ingenium, atque ſagacitas humana tantopere ſibi placet, ſeſeque iactant ſibi ſuffeni (forts esprits) de acie mentis, ſublimitateque partuum ingenii ſui, quod Galli *Esprit*, et aptius Germani *Witz* appellant, nequaquam confundendum cum intellectu humano *Entendement*, *Verſtand.* Quo divino immortalis ad imaginem Dei creatæ animæ munere; ipſo divini oris flatu homini inſpirato abutuntur illi, de quibus initio, et nunc iterum ſumus locuti, utinam vel vanis tantum, levibus, et futilibus, ac non etiam lubricis, ſalacibus, imo impiis et blasphemis verſati, luxuriatique in argumentis luſu quodam rerum, perinde ac verborum, fictis et coloratis orationis luminibus, atque ementito eloquentiæ humanæ fuco, aut quocunque demum apparatu rhetorico, elocutionis ornatu, ac orationis flore, quæ omnia res ſuapte natura ſublimes, ac divinæ in Evangelio Christi imprimis nequaquam requirunt. Id quod univerſum de grandi dicendi genere S. Auguſtinus L. IV. de doct. chriſt. n. 42. T. III. opp. P. I. p. 81. obſervat: „Nam, inquit, capit etiam illa ornamenta pene omnia; ſed ea, si non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu ſuo, et elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum accipit, non cura decoris aſſumit. Satis eſt enim ei propter quod agitur, ut verba congruentia non oris eligantur induſtria, ſed pectoris ſequantur ardorem.“

Sunt hæc ſecundum ſpiritum Evangelii dicta, quo ſe uſum D. Paulus Corinthiis declarat Ep.

I. c. II. *Non*, inquit, *in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ.* Et mox v. 4. *Sermo meus, et prædicatio mea non eſt in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, et virtutis, ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Incruſtent, venuſtentque res ſuas, quocunque velint modo, qui ſibi, aliisque videri volunt ſapere præ cæteris mortalibus, certe contra apoſtoli monitum, plusquam oportet, ſapiunt ſuperbi, atque vel ideo a vera illa ſapientia alieni, de qua mox citatus apoſtolus v. 6. *Sapientiam autem loquimur*, ait, *inter perfectos: ſapientiam vero non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruuntur.* Quoscunque hic principes huius ſæculi intelligas, ſive ex Gentilibus, ſive Iudæis, ſive etiam ex iis, qui chriſtianum nomen mentiuntur, ferax eſt hisce quam maxime præſens hæc ætas, quos principes huius ſæculi appelles, qui dici amant grandes ſpiritus, ſpernentes Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt. Omnia ratione ſua, ac intellectu metiri in more poſitum promiſcue eſt, lugendis illis his noſtris, ſi unquam alias, temporibus; de quibus apoſt. II. Tim. IV. 3. 4. *Erit enim*, ait, *tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Magiſtros vocat κνηθομένους τὴν ἀκοὴν qui ſuada ſua, orationis pigmentis, rerumque figmentis a veritate evangelica auditum avertunt ad fabulas converſi, quas doctas vocat D. Petrus. *Non enim*, ait Epiſt. II. cap. I. 16., *doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis D. N. J. C. virtutem et præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magni-*

tudinis. In monte nempe, quando transfiguratus fuit Christus, putavitque tunc bonum esse ſibi, cupiens tabernacula figere Petrus nesciens quid diceret. Etenim Christum in gloria ſua videre non est huius vitæ, ubi in fide ambulamus, non in ſpecie, *videmusque nunc per ſpeculum in ænigmate.* I. Cor. XIII. 12. Ut autem ſcintillæ quædam divinæ lucis oculos mentis noſtræ perstringant, vero ſpiritu in lege Domini meditemur cum Psalmista die ac nocte, ut cum eo dicere possimus: *Mirabilia testimonia tua, ideo ſcrutata est ea anima mea. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* Id quod maxime dici potest de ſublimi in Evangelio Christi, cuius ſpecimina quædam dabimus, præmiſsa adumbratione quadam divinæ Evangelii Christi Verbi incarnati œconomiæ. Nemo vero mihi dicam ſcribat de notione τȣ̃ ὕψȣς in Evangelio Christi, ubi omnia θεῖα ſunt ac ſublimia, quæ ſi minus assecutus ſum, mea culpa est. Mea autem qualiscunque est opera, ſcientia est ſanctorum, SS. paginarum et SS. Patrum, quorum in hoc opere vestigia lego.

DIVINA
EVANGELII CHRISTI,
VERBI INCARNATI
ŒCONOMIA.

Evangelium virtus Dei non in persuasibilibus humanæ ſapientiæ verbis.

I. „ Paulus ſervus Jesu Christi, vocatus apostolus, ſegregatus in evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de Filio ſuo, qui factus est ei ex ſemine David ſecundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri. *a*)" Est hæc ſumma evangelii Christi, per quem mox addit apostolus, ſe accepisse „ gratiam, et apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius *b*). " Nam, ut pau-

a) *Rom. I.* 1. *b*) *Ib.* 5.

lo poſt de ſe teſtatur: „ Græcis et Barbaris, ſapientibus et inſipientibus debitor ſum; ita (quod in me) promtum eſt et vobis evangelizare. Non enim erubeſco evangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primum et Græco *a*). " Quæ omnia explicatius ediſſerit, quomodo ſit debitor ſapientibus et inſipientibus, in exordio Epiſtolæ primæ ad Corinthios idem „ Paulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei... Non in Sapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti. Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem, qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt *b*). "

Homines ſimplices et rudes elegit Deus ad prædicandum evangelium Filii ſui Chriſti crucifixi, non in ſapientia verbi σοφίᾳ λόγȣ cum facundia rhetorica, *ſublimate ſermonis aut ſapientiæ c*), quam reprobat: „ Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? Ubi ſcriba? Ubi conquiſitor huius ſæculi? *d*) " ſcilicet inter præcones evangelii Chriſti: quales eſſe ſolebant apud Græcos philoſophi, apud Judæos ſcribæ et doctores: ubi conquiſitor συζητητὴς rerum huius ſæculi diſquiſitor, ſophiſta ac diſputator peritus ac ſubtilis? *Nonne ſtultam facit Deus ſapientiam huius mundi? e*) dum nempe rudes et imperitos huius ſæculi elegit ad prædicandum evangelium Chriſtus, quem miſit Deus, ille vero apoſtolos, in mundum, ut

a) *Rom. I.* 14. *b*) *I. Cor. I.* 1. *c*) *Ib.* 17. *d*) *Ib. I.* 19. *e*) *Ib.* 20. etc.

oblivione ſepultam de Deo rebusque divinis doctrinam revocarent, atque humani generis per Christum crucifixum redemtionem annuntiarent: „Nam, pergit Apostolus, quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes: quoniam et Judæi ſigna petunt, et Græci ſapientiam quærunt *a*)."

Utrisque equidem ſatisfactum fuisset, si recte ſapere voluissent. Ab exordio ſtatim prædicationis ſuæ innumera Christus apud Judæos patravit miracula; ſed illi offensi Christi humili ſtatu ipsum non agnoverunt, cum Messiam regem expostularent, qui eos in libertatem vindicaret, e Romanorum potestate ereptos; cumque Christus se e cœlo missum diceret, e cœlo petebant miraculum tunc adhuc cum in cruce penderet, male intellectis verbis illis, *Eli*, *Eli*, *lamma ſabacthani*, Eliam eum vocare e cœlo putarunt, qui liberaret eum. At Christo in cruce mortuo ſpe frustrati ſunt; Græci etiam, qui nil nisi humana ſapiebant, σοφίαν, ſtultum reputarunt, in crucifixum credere, quem illis prædicabant apostoli: „Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam; ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, et Dei ſapientiam *b*)." S. Justinus philosophus et martyr in oratione ad Græcos n. 5. eos, ut se huius

a) *I. Cor. I.* 21. *b*) *Ib.* 23.

incomparabilis ſapientiæ participes reddant, hortatus, „quippe, ait, cum per Verbum vis quædam in animam pervadat (o gravium affectuum fugatorium instrumentum! o ignis animæ inſiti extinctorium magiſterium!) quæ nos non efficiat poetas, non philoſophos reddit, neque oratores excellentes, ſed docens, ex morti obnoxiis immortales, et deos ex mortalibus facit: accedite Græci, docemini, estote ut ego, quoniam et ego eram ut vos. Hæc me ceperunt, et doctrinæ vis enthea, et verbi efficacia." Est hæc divina Evangelii Christi œconomia per verbum divinum carofactum: „Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis ſapientia a Deo, et iustitia et ſanctificatio et redemptio *a*)," quam a Christo pro nobis crucifixo ſumus conſecuti admirabili ſimplicitate ſermonis, procul omni eloquentiæ apparatu ab evangelistis manifestata, et ab Apostolis in universo mundo denunciata, non in ſapientia humana aut virtute, viribusque humanis, Christo et eius Apostolis in hoc mundo abiectis et infirmis, vi omni ac robore destitutis, ab omnibus despectis et usque ad mortem persecutiones ſustinentibus, dum Christum crucifixum prædicant: „Non enim, ut de ſe proſequitur Apostolus *b*), iudicavi me ſcire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos: et ſermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in ostensione ſpiritus, et vir-

a) *I. Cor. I:* 30. *b*) *Ib. II.* 2. *etc.*

tutis.“ Est hæc virtus omni credenti evangelium Christi. Sic „virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, et gratia magna erat in omnibus illis *a*).“

Gentiles, qui Christum in carne non viderant, quæve miracula patraverat, nec audierunt ex ore eius divinam doctrinam, persuadendi erant ac convincendi ſignis, quæ eos ſecutura, ille promiserat, qui Evangelium essent prædicaturi, atque edocendi ante omnia de eo, quod est caput divinæ Evangelii Christi Verbi incarnati œconomiæ, ſcilicet resurrectio Christi ex mortuis, quam et in se credentibus gloriosam aliquando in resurrectione carnis promisit in gloria æterna in cœlis. „Loquimur, ait Apostolus *b*), Dei ſapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante ſæcula in gloriam nostram.“ Sic idem Athenis in Areopago occasionem arripit ex inscriptione ſimulacri: IGNOTO DEO: *quod ergo*, ait *c*), *ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Finem illis creati a Deo humani generis ob oculos ponit, „Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe ſit ab unoquoque nostrûm. In ipso enim vivimus, et movemur, et ſumus; ſicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt; ipsius enim et genus ſumus.“ Sic a ſimulacrorum cultu avertens eos, ad Christum, diemque resurrectionis universæ convertit, „in quo Deus iudicaturus est orbem in æquitate,

a) *Act. IV.* 33. *b*) *I. Cor. II.* 7. *c*) *Act. XVII.* 23.

in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuscitans eum à mortuis." Perſuaſerant ſibi σοφοι Athenienſes, *novorum dæmoniorum* ſeu deorum annuntiatorem eſſe Paulum: *quia Jeſum, et reſurrectionem annunciabat eis a*). Hæc nempe erat eorum theologia, qua humana divinis, poetarum fabulis miſcebant, ut de Homero Cicero loquens non longo adeo ante Chriſtum tempore opportunum pandebat deſiderium: „Humana Homerus ad deos tranſtulit, divina mallem ad nos." Sic Paulus Ignotum Deum annuntiat Athenienſibus, qui cultu veri Dei oblivione dato, cultum deorum, fabulis poetarum celebratorum ſunt ſecuti. Sic D. Petrus: „Non enim, ait, doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem et præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis *b*)." Eſt hoc ſublime in Evangelio Chriſti: divina Evangelii Chriſti, Verbi incarnati, œconomia, propoſitum hic nobis argumentum.

VERBUM DEI INCARNATUM.

II. Reſpicit modo citato loco D. Petrus transfigurationem Chriſti in monte, qua cum eo Moyſes et Elias ſunt *viſi in maieſtate* præſentibus Petro, Jacobo et Joanne *c*), qui cæteris evangeliſtis poſterior Evangelium conſcribens omnium ſubli-

a) *Act. XVII.* 18. *b*) *II. Petr. I.* 16. *c*) *Luc. IX.* 31.

missime veluti aquila evolavit, „ita ut, ſunt S. Augustini verba *a*), hos videas quodammodo in terris cum Christo homine conversari; illum autem transscendisse nebulam, qua tegitur omnis terra, et pervenisse ad liquidum cœlum, unde acie mentis acutissima atque firmissima videret in principio verbum apud Deum, per quod facta ſunt omnia, et ipsum agnosceret carnem factum, ut habitaret in nobis: et quod acceperit carnem, non quod fuerit mutatus in carnem." Sicut igitur Moyses mundi creationem in tempore factam enarraturus infit: *In principio creavit Deus etc.* Sic S. Joannes generationem Verbi divini ante omnia tempora, æternam adeo ſine principio, pandens; *In principio*, ait, *erat verbum.* Infinito transscendit S. Joannis ἐν ἀρχῇ ἦν Moysis בראשית ברא Hoc enim ens contingens, existens ab alio, a Deo creatum; illud increatum Ens a se, id est ὁ ὢν prout LXXII. intt. illud Exodi III. 14. *Ego ſum, qui ſum:* Ἐγώ εἰμι ὁ ὢν interpretantur.

„Scribendi Evangelii, iuxta S. Hilarium *b*), non aliam ſanctus Joannes prætulit causam, quam ut omnes crederent Jesum esse Christum Filium Dei." Scripsit nempe S. Joannes Evangelium ſuum postquam iam variæ hæreses, atque Gnosticorum catervæ exortæ essent, quas S. Irenæus lib. V. contra hæreses persequitur. Is lib. III. recapitulans ea potissimum, quæ ad demon-

a) *De consensu Evang. l. I. c.* 4.
b) *Lib. VI. de Trinit. n.* 41.

ſtrandam Verbi incarnati divinitatem pertinent ab evangeliſtis dicta, cap. XI. voluiſſe S. Joannem teſtatur, „per evangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inſeminatus erat hominibus, errorem, et multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitæ, qui ſunt vulſio eius, quæ falſo cognominatur ſcientia:“ Gnoſis nimirum, unde Gnoſtici, qui inter varios ſuos æonas etiam Chriſto locum dabant, quem quidem mundo ſtatuebant priorem, inferiorem tamen Deo ente ſupremo et perfectiſſimo, quod ab æterno in pleromate ſit. Ens hoc teſte S. Irenæo „principalitatem dicebant, quæ eſt ſuper univerſa, et ante adventum Æonis Chriſti incognita.“ Hos aliosque cum recenſuiſſet S. Martyr errores, quos corrigere, ſeu ut loquitur S. Martyr „circumſcribere παραγράφειν, volens diſcipulus Domini, et regulam veritatis conſtituere in Eccleſia, quia eſt unus Deus omnipotens, qui per Verbum ſuum omnia fecit, et viſibilia et inviſibilia: ſignificans quoque, quoniam per Verbum, per quod Deus perfecit omnia in hoc et ſalutem his, qui in conditione ſunt, præſtitit hominibus, ſic inchoavit in ea, quæ eſt ſecundum evangelium doctrina: *In principio erat Verbum*,“ ὁ λόγος, quem etiam Gnoſtici inter præcipuos æonas reponebant, evangeliſta autem Verbum hoc non ſolum apud Deum dicit, ſed Deum eſſe Verbum, quod *erat* iam *in principio apud Deum* Deo coæternum. „Omnia per ipſum facta ſunt, et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, et vita erat lux

hominum. " Apud Gnosticos etiam Ζωή vita, Φῶς lux inter æonum reputabantur ordines, Deo inferiores ſeu emanationes mutuas; S. Joannes vero hæc omnia in una verbi hypostasi ipsumque Deum esse asseverat. „In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. Lux in tenebris lucet – resplendentibus radiis divinitatis in operibus naturæ, providentiæ et gratiæ, – et tenebræ eam non comprehenderunt, philosophi excæcati in operibus naturæ, et providentiæ; Judæi in operibus gratiæ frustra misso S. Joanne præcursore Domini, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum... In propria venit, et ſui, – Judæi nimirum peculiaris Dei populus – eum non receperunt. Quot quot autem receperunt eum – ſive ex Judæis, ſive aliis undique gentibus, – dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, – quales se Judæos gloriabantur ex ſemine Abraham oriundos, ſed – ex Deo nati ſunt, – per Christum, qui est Verbum caro factum, quod – habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis. " Huc mentes nostras efferens D. Paulus Hebr. III. 1. etc., ad novi testamenti præ veteri præstantiam divinamque Evangelii Christi Verbi incarnati œconomiam ob oculos ponendam, nos eiusdem participes, „Fratres ſancti, affatur, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum, et pontificem

confeſſionis noſtræ Jeſum: qui fidelis eſt ei, qui fecit illum, ſicut et Moyſes in omni domo eius. Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam," mundi nimirum huius per Verbum facti fabricam, dum omnia per ipſum facta ſunt, et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.

Dum igitur ſic S. Joannes divinas nobis pandit origines Verbi incarnati, per quod omnia facta ſunt, ex cæteris Evangeliſtis, qui ab humanis Chriſti natalibus auſpicantur, S. Lucas genealogiam Chriſti proſecutus uſque ad primam illam rerum, generisque humani originem: *Qui fuit Adam, qui fuit Dei a)*, humanos Chriſti natales cum divinis, quibus ex Patre natus eſt ante omnia ſæcula, coniungit; S. Matthæus vero Chriſti genealogiam ab Abraham, cui promiſſio primum facta eſt, in ſemine eius benedicendas eſſe omnes gentes, repetit. Uterque vero horum evangeliſtarum, quod divinam Evangelii Chriſti Verbi incarnati attinet œconomiam in his natalibus, uno ore conformiter enarrat: „Chriſti autem, ſunt verba Matthæi I. 18. generatio ſic erat: cum eſſet deſponſata mater eius Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto:" id quod latius apud Lucam I. 26. ſeqq. enarratur. Qui quidem pauca quædam Matthæo narranti Magorum adorationem, et

a) *Luc. III. 38.*

ſugam in Ægyptum, ſuperaddit de vita Christi abscondita in ſua pueritia, non ſemel testimonio matris Jesu Mariæ firmata: narrationi quoque de nativitate S. Joannis hæc iungit: „Puer autem crescebat, et confortabatur ſpiritu: et erat in deſertis usque ad diem ostensionis ſuæ ad Israel *a*).“ Atque ab hac epocha S. Marcus prætermissis omnibus prioribus a cæteris evangelistis commemoratis, Evangelium ſuum exorsus, ac primis mox verbis luculentissime divinam Evangelii Christi verbi incarnati œconomiam testatus, infit: *Initium Evangelii Christi Filii Dei.*

Audent vero obstrepere petulantia hominum ingenia huic in una Christi persona divinæ cum humana natura hypostaticæ unioni, atque in dubium vocare mysterium ceu a captu alienum, cuius tamen minime abhorrens in hypostatica coniunctione rationalis animæ cum corpore exemplum habet homo in ſeipso, nisi *comparatus iumentis insipientibus*, *et ſimilis factus illis b*) esse velit: in eo etiam animal brutum et ingratissimum is ille, qui ideo Verbum incarnatum hominemque factum negat, quod indignam maiestati Dei hanc intimam coniunctionem esse, effutire non erubescat, qua nulla maior humano generi accidere potuit dignatio: quaque dum divinæ naturæ ſumus consortes effecti ſimul etiam felicitatis eius participes, regnique æterni in cœlis cum Deo iure donati ſumus, *hæredes quidem Dei*, *cohæredes*

a) *Luc. I.* 80. *b*) *Psalm. XLVIII.* 13.

autem Chriſti, nos quidem indigni prorſus ac immerentes, mala imo ac dira quævis merentes, „Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, et cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto (cuius gratia eſtis ſalvati) et conreſuſcitavit, et conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu, ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu *a*).“

JOANNES PRÆCURSOR DOMINI.

III. Intelleximus iam ex Joanne Evangeliſta *b*), fuiſſe hominem miſſum a Deo, „cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine etc.“ quo nimirum ſibi omnia reſponderent ad divinam hanc præordinatam œconomiam. S. Auguſtinus quæſtionem inſtituens cur præter Chriſtum Dominum unius S. Joannis Baptiſtæ celebretur in Eccleſia nativitas: „Videtur, inquit *c*) Joannes interiectus quidam limes teſtamentorum duorum, veteris et novi. Nam eum eſſe, ut dixi quodammodo limitem Dominus ipſe teſtatur, dicens: *Lex et prophetæ usque ad Joannem Baptiſtam.* Suſtinet ergo perſonam vetuſtatis, et præconium novitatis: propter perſonam vetuſtatis de ſenibus naſcitur; prop-

a) *Eph. II.* 4. *b*) *Jo. I.* 16. *c*) *Serm. VI. in nativ. S. Joa. n.* 1. *T. V. pag.* 1176.

ter perſonam novitatis in visceribus matris propheta declaratur. Nondum enim natus ad ſanctæ Mariæ adventum exultavit in utero matris. Jam ibi designatus erat: cuius præcurſor eſſet, oſtenditur, antequam ab eo videretur. Divina ſunt hæc, et menſuram humanæ fragilitatis excedunt. Hoc quod factum eſt, refer ad ſignificationem rerum, et vide magnum myſterium. Zacharias tacet, et amittit vocem, donec Joannes naſceretur præcurſor Domini, et aperiret vocem.“ Et mox teſtimonium illud Chriſti de S. Joanne præcurſore ſuo verſans: *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Joanne Baptiſta*, „si hoc, inquit S. Doctor, homine nullus erat maior homo, qui maior eſt illo, plus eſt, quam homo. Magnum teſtimonium Chriſti de ſe ipſo, ſed lippientibus, et infirmis oculis parum de ſe teſtificatur dies. Infirmi oculi diem expaveſcunt, lucernam ferunt. Ideo præmiſit lucernam dies venturus. *Paravi*, inquit, *lucernam Chriſto meo;* Joannem Salvatori præconem, iudici præcurſorem venturo, futuro amicum ſponſo. Quis ergo teſtimonium huic perhibeat diei latenti in quadam nube carnis? Da lucernam et teſtetur diem.“ Nempe hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine. Ex Luca Evangeliſta diſcimus, patrem eius Zachariam ſacerdotem fuiſſe, cui, „cum ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundum conſuetudinem ſacerdotii ſui etc. apparuit angelus Domini ſtans a dextris altaris incenſi.“ Ei ad conſpectum angeli exterrito de-

nuntiavit ille, uxorem Eliſabeth parituram filium Joannem hunc.

Eſt hæc nova divini cum hominibus epocha commercii in divina Chriſti Verbi incarnati œconomia, dum a ſæculis iam ora obmutuerant prophetarum. En ſubito divina omnia et cœleſtia! Apparet angelus de cœlo, Zacharias ad rem inſolitam turbatur, fit mutus in pœnam incredulitatis ſuæ, dum audit ex uxore ſua ſterili naſciturum filium; ubi etiam angelus nomen ſuum Gabriel denuntiat, idem qui pridem Danieli apparuit *a*), Chriſtumque Meſſiam venturum eidem præ cæteris prophetis omnium apertiſſime prænuntiavit. Quod vero angelus Zachariæ de naſcituro filio prædixerat, repletum eum ſpiritu ſancto adhuc ex utero matris ſuæ, multos filiorum Iſrael converſurum ad Dominum Deum ſuum, haud obſcure ſignificat, Dominum hunc *Deum ipſorum* illum ipſum eſſe, quem Ioannes præcederet in ſpiritu et virtute Eliæ, „ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam: *b*)" prout a Malachia propheta prædictum fuerat: „Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, et percutiam terram anathemate *c*)." Quæ poſteriora verba haud obſcure deſignant, Joannem fore præcurſorem Do-

a) *Dan. VIII. IX. etc.* b) *Luc. I. 17.* c) *Malach. IV. 6.*

mini Dei Israel *in ſpiritu et virtute Eliæ* ad avertendum, ne forte veniat, et *percutiat terram anathemate*, quod est in ſecundo futurum adventu, de quo Christus, „Filius hominis, ait, cum venerit, putasne fidem inveniet in terris?“ Circa divinam ſcilicet Evangelii Christi Verbi incarnati œconomiam. A qua fide, cum essent, qui deflecterent, iam S. Joannes antichristos vocaverat, in ſuis epistolis.

CHRISTI ANNUNCIATIO.

IV. Idem qui Zachariæ in templo, post ſex menses a Deo missus, Mariæ quoque apparuit angelus Gabriel *a*), ad mysterium Incarnationis Verbi divini peculialiter electus. Sed vide, quam reverenter futuram Spiritus Sancti ſponsam, atque matrem unigeniti Filii Dei ſalutat! „Et ingressus ad eam angelus dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus *b*).“ Ad ſalutationem Mariæ autem postea cognata eius Elisabeth „repleta Spiritu S. exclamavit voce magna, et dixit: Benedictus fructus ventris tui.“ Quare nemo iam virginis modestiæ male vertet, quod in ſuo cantico haud oblita, atque, quid ex ſe, et quid ex gratia esset contestata, dicit: „Quia respexit humilitatem ancillæ ſuæ; ecce enim! ex hoc beatam me dicent omnes generationes.“ Postquam nimirum turbatæ cogitantique, qualis esset

a) *Luc. I.* 26. *b*) *Ib.* 28.

iſta ſalutatio, timorem angelus excuſſerat: „Ne timeas, ait, Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Jeſum. Hic erit magnus, et filius Altiſſimi vocabitur: et dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris eius, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni eius non erit finis." Cum eſſet iam *viro, cui nomen erat Joſeph de domo David a*), ex eadem ſecundum legem familia regia Davidis, obſcura tunc paupere et abiecta deſponſata virgo: cumque non ſpe prolis ſe accepiſſe virum, ex angelo quærens Deo devota virgo, *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? b*) eſſet conteſtata, nihil tamen de angeli annuntiatione dubitans in cantico ſuo exclamat: „Fecit potentiam in brachio ſuo; diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, et exaltavit humiles. Eſurientes implevit bonis, et divites dimiſit inanes. Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ." Jam tunc utero ſuo conceperat, de quo ad eam angelus c) dixit: „Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque et quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Eliſabeth cognata tua: et ipſa concepit filium in ſenectute ſua, et hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis: quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum."

a) *Luc. I.* 27. b) *Ib.* 34. c) *Ib.* 35.

Ecce hic omnia præter rerum, ac naturæ ordinem, atque divina: præprimis vero Christi conceptio a Spiritu S. divina Verbi incarnati œconomia. Cuius mysterii ignarus Mariæ ſponsus *Joseph vir eius, cum esset iustus et nollet eam traducere a)*, ac diffamare, velletque eam occulte dimittere, celante mysterium virgine, ac in corde ſuo conservante, adest iterum: „Ecce angelus Domini, apparuitque in ſomnis ei dicens: Joseph fili David! noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Jesum: ipse enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum." Ubi animadverte perspicuam nominis Jesu interpretationem; quod vero multis luculenter circumscribit nato S. Joanne præcursore Domini *Zacharias pater eius repletus Spiritu Sancto b)* in ſuo cantico, ſimul etiam munus filii ſui Joannis futuri prophetæ prophetice effatus: „Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum c)." Dominum ſuum hunc ipsum vocat perinde ac uxor eius Elisabeth et ipsa *repleta Spiritu Sancto d)*, dum novo miraculo, „ut audivit ſalutationem Mariæ, exultavit infans in utero eius ... Et unde hoc mihi, ait, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo: et beata quæ cre-

a) Matth. I. 19. b) Luc. I. 67. c) Ib. 76. d) Ib. 41.

didiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi a Domino." Quaſi carpens Zachariam virum incredulum voci angeli, ei in templo hæc prænuntiantis, et idcirco muti usque in diem, quo hæc facta ſunt, quando nimirum „apertum est illico os eius, et lingua eius, et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor ſuper omnes vicinos eorum: et ſuper omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc *a*)." Eccui vero non ſtuporem iniiciat rerum mirandarum una quaſi ſeries, congeriesque, divina Evangelii Christi Verbi incarnati, iam antequam nasceretur, œconomia?

CHRISTUS NATUS.

V. „Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur univerſus orbis *b*)." Non poterat Evangelista expresſius determinare tempus adventus Meſſiæ iuxta prophetiam patriarchæ Jacob *c*): „Non auferetur ſceptrum de Juda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exſpectatio gentium." Non ſemel equidem Israelitæ in ſervitutem redacti fuerant, disperſæ etiam manſerant captivæ deductæ reliquæ tribus præter tribum Juda, quæ in Judæa ſuperstes post captivitatem Babylonicam etiam nonnunquam fuerat ſervitute preſſa, ſed necdum venerat, qui foret exſpectatio gentium Meſſias Christus Jesus: quo brevi nasci-

a) *Luc. I.* 64. *b*) *Luc. II.* 1. *c*) *Gen. XLIX.* 10.

turo *deſcriptio prima facta a praeſide Syriae Cyrino*, cui ditioni atque adeo deſcriptioni et Judaea ſuberat in provinciam redacta. „Et ibant omnes, ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem. Aſcendit autem et Joſeph a Galilaea de civitate Nazareth in Judaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem; eoquod eſſet de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore praegnante.“ En luculentum teſtimonium atque publicum de Chriſto Jeſu naſcituro ex ſtirpe illa, domo et familia, ex qua iuxta prophetarum vaticinia erat oriturus Meſſias, in Bethlehem Juda civitate David. „Factum eſt autem, cum eſſent ibi, impleti ſunt dies, ut pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum *a*),“ ut nimirum ille eſſe commonſtraretur, quem virgo conceptum de Spiritu S. genuiſſet, non quod deinceps alium genuerit; *et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praeſepio, quia non erat ei locus in diverſorio.* Hiccine eſt magnus ille virgini matri ab angelo annuntiatus, qui filius Altiſſimi vocabitur? cui daturus eſt *Dominus Deus ſedem David patris eius? et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni eius non erit finis b*)?

Eis paradoxa haec ſunt, qui cum Judaeis exſpectantibus liberationem ab imperio Romanorum, reſtituendum regnum Iſrael terrenum ſibi ſomniant; dum Chriſto nato pannis involuto, et recli-

a) *Luc. II. 6.* *b*) *Ib. I. 32.*

nato in præsepio, non est locus in diversorio, in hoc mundo: regnaturo autem in domo Jacob in æternum, cuiusve regni nón erit finis, non potest esse regnum de hoc mundo finem habituro. Quod igitur Christus palam coram Pilato edixit *a*), regnum ſuum non esse de hoc mundo, hic elinguis adhuc in ſtabulo velut extra commercium humanum positus, iacens in præsepio profitetur. Quodque in horto dicit Christus de legionibus angelorum *b*), et iterum Pilato de iisdem ministris pro se certaturis, si regnum ſuum esset de hoc mundo; id exhibetur nato Domino ad demonstrandum eum regem cœlorum. En œconomiam divinam Evangelii Christi pastoribus denunciati! Adsunt nuncii e cœlo (cuius regni cœlestis nimirum non erit finis) ad pastores in regione eadem vigilantes: adest ſplendor, cui nil in terris par esse potest: *Et ecce! angelus Domini ſtetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos c*), evangelizatque eis angelus gaudium magnum, *quod erit omni populo* non tantum Judaico, ſed omnibus gentibus, quibus aliquando idem erit evangelizandum *gaudium magnum*, quod hic pastoribus annunciatur, „quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Et hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio." Paucioribus quidem, ſed ſignificantioribus verbis, quam nasciturus Zachariæ ſacerdoti, ac ipsi virgini Mariæ, denunciatur pastoribus iam natus *Salvator*, *qui est Christus Dominus*.

a) *Jo. XIX.* 36. *b*) *Matth. XXVI.* 53. *c*) *Luc. II.* 9.

Atque etiam „ſubito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium: Gloria in Altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis:“ quia nimirum pacificator, mediator inter Deum et hominem natus est in Bethlehem Juda civitate David.

Ex Bethlehem etiam oriundus, thronum ſuum in monte Sion, regiamque in Jerusalem constituit David. Sic post resurrectionem ſuam a mortuis expleto redemtionis nostræ opere in Jerusalem ad apostolos ſuos *accedens Jesus locutus est eis, dicens: data est mihi omnis potestas in cælo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes;* quod nimirum angelus evangelizavit, *gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator*, Jesus nimirum, quod idem est ac Salvator. Ad hoc nempe data est Christo Jesu omnis potestas in cœlo et in terra, ut ſalvaret populum ſuum a peccatis eorum in terra; ascendensque ad Patrem ſuum, et Patrem nostrum, Deum ſuum, et Deum nostrum, intrans in gloriam ſuam eandem nobis (cum eius ſpe, quam in ſtatu innocentiæ habebamus, excidissemus per peccatum) redderet in cœlis, hæredibus quidem Dei, cohæredibus autem Christi Salvatoris nostri. Fuerunt tum Maria, tum etiam Joseph ab angelo cœlesti nuncio, ut ita dicam, a latere iussi hoc infanti indere nomen, quod et factum est, „postquam consummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatumque est nomen eius Jesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero

conciperetur *a*)." Matri dictum erat: *Vocabis nomen eius Jeſum. Hic erit magnus et Filius Altiſſimi vocabitur etc.* Joſeph autem matris ſponſo dicitur: *Vocabis nomen eius Jeſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Divina Evangelii Chriſti Verbi incarnati œconomia!

A MAGIS ADORATUS.

VI. Vides ubique cœleſtium nunciorum miniſterium, divina humanis contemperata. Ab angelo etiam reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, Magi per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam *b*), quæ creditur eſſe Aram ſeu Meſopotamia, unde venerint Jeroſolymam dicentes: „Ubi eſt, qui natus eſt rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, et venimus adorare eum *c*):" quam nimirum orituram ex Jacob Balaam prædixerat *d*). Primitiæ erant hi Magi gentium, quibus ſalus ex Judæis, ſalvatoreque regnaturo in domo Jacob, ſedeque David advenire debebat. Regem hunc Chriſtum fore Meſſiam nec Herodes dubitabat, eumque in Bethlehem Judæ naſciturum a principibus ſacerdotum et ſcribis populi edoctus erat. Eo dum iam pergunt Magi, *ecce ſtella, quam viderant in Oriente*, quæve diſparuerat in Jeruſalem ſeu Judæa, ubi lucem eam tenebræ non comprehenderunt, *antecedebat*

a) *Luc. II.* 21. *b*) *Matth. II.* 12. *c*) *Ib.* 2.
d) *Num. XXIV.* 17.

eos, usque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer. Animadverte hic divinam evangelii Christi Verbi incarnati œconomiam in his gentium, ad quas aliquando Evangelium deferendum, primitiis! „Videntes autem ſtellam gavisi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham." De adorationis vocabulo in ſcripturis æquivoco etiam certi et asserti nihil ſtatui posse videtur, cum natum tantum regem Judæorum quærant; regibus autem deferre munera fuisse consuetum in Oriente, Persis præsertim ſeu Parthis ſcriptura nos Genes. XXXII. 14. etc. Gen. XLIII. 11. 15. I. Reg. X. 27. et alibi docet; munerum tamen thuris præsertim nonnisi divinitati adoleri ſoliti ratio altius, ut ſuo loco videbimus, hic evehere animi ſensum postulat, ipsaque illa, quam hic conservatam intelligimus traditionem a primis parentibus inde acceptam de redemtore generis humani ſeu ſalvatore mundi: quem Judæi ſub nomine Messiæ regem ſuum exspectabant; ex historia autem Magorum palam fit iuxta prophetiam patriarchæ Jacob, eum aliarum etiam gentium in ſuo adventu fuisse exspectationem, eundem, qui pastoribus per angelos fuit annunciatus, gentibus per ſtellam designatum. „Jam tunc ergo, ſunt verba S. Leonis P. *a)*, cœli enarraverunt gloriam Dei, et in omnem terram ſonus veritatis exivit, quando et pastoribus

a) Serm. II. de Epiph. c. 1.

exercitus angelorum Salvatoris editi annuntiator apparuit, et Magos ad eum adorandum prævia ſtella perduxit: ut a ſolis ortu usque ad occaſum veri regis generatio, et regna Orientis per Magos diſcerent, et Romanum imperium non lateret. Nam et ſævitia Herodis, volens primordia ſuſpecti ſibi regis extinguere, huic diſpenſationi neſciens ſerviebat: ut dum atroci intentus facinori, ignotum ſibi puerum indiſcreta infantium cæde perſequitur, annuntiatum cœlitus dominatoris ortum inſignior ubique fama loqueretur; quam promtiorem ad narrandum, diligentioremque faciebat, et ſupernæ ſignificationis novitas, et cruentiſſimi perſecutoris impietas.“ Revocat etiam huc deinceps S. pontifex fugam Chriſti in Ægyptum, ubi ad eius præſentiam corruiſſe idola, quis non facile ſibi in animum inducat? Congruam omnino divinæ Evangelii Chriſti Verbi incarnati œconomiæ rem. Certe eius adventu idololatria evanuit, quod S. Athanaſius in lib. de Incarnatione Verbi Dei ceu caput omnium ac maxime mirandum extollit, „ubi, ut poſtea animadvertit, Dei verbum cum corpore, apparuit, et ſuum Patrem notum nobis fecit, tunc dæmonum quidem fallaciæ evaneſcere et deſinere cœperunt, homines autem verum Patris Deum Verbum intuentes, idola relinquunt, ac verum Deum agnoſcunt. Id porro certo indicio eſt, Chriſtum Deum Verbum et Dei virtutem eſſe. Cum enim ceſſent, quæ humana ſunt, et Chriſti verbum conſtanter perſeveret, nemo non videt, ea quæ finem habent temporalia eſſe; eum autem, qui perpetuo permanet, Deum Deique filium verum, unigenitum Verbum eſſe.

CHRISTI INFANTIA, ÆTATISQUE PROFECTUS.

VII. Portenderat ſtella Magis prælucens *lumen illud ad revelationem gentium* Jesum *ſalutare* illud *Dei*, quod paravit *ante faciem omnium populorum*, de quo Simeon *homo* iste *iustus et timoratus*, *exspectans conſolationem Israel*, *et Spiritus Sanctus erat in eo a*), ſpiritu prophetico iam tunc eum prædixit positum esse *in ruinam*, *et resurrectionem multorum in Israel*, *et in ſignum*, *cui contradicetur*, Mariam allocutus, nec obscure ignominiosam mortem Christi in cruce, cui mater mœrens adstitit, vaticinatus: *Et tuam*, ait, *ipsius animam pertransibit gladius etc.* Anna quoque prophetissa, *et hæc ipsa hora ſuperveniens*, *confitebatur Domino: et loquebatur de illo omnibus*, *qui exspectabant redemtionem Israel.* Quæ verba innuunt non ſine numine, cum esset prophetissa, *ipsa hora* eam ſupervenisse: velut Evangelista de Simeone narrat eum „responsum accepisse a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in ſpiritu in templum, cum inducerent puerum Jesum parentes eius, ut facerent ſecundum consuetudinem legis pro eo.“ Ubique apparet Θεάνθρωπος homo Deus, humana et divina in infante Jesu; ubique mirabilia, ac miracula. „Omnis ætas,. commentatur S. Ambrosius in hunc S. Lucæ locum *b*), et uterque ſexus, eventorumque miracula fidem adstruunt. Virgo generat, ſterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth pro-

a) *Luc. II.* 25. *etc.* *b*) *L. II. c.* 2. *n.* 58. *etc.*

phetat, Magus adorat, in utero clauſus exultat, vidua confitetur, iuſtus exſpectat ... Vides uberem in omnes gratiam Domini generatione diffuſam, et prophetiam incredulis negatam eſſe, non iuſtis. Ecce et Simeon prophetat in ruinam et reſurrectionem plurimorum veniſſe Dominum Jeſum Chriſtum."

Sic iterum divina humanis interpoſita apparent in Chriſti fuga in Ægyptum *a*): in qua, concedente divina œconomia iræ, inſidiisque Herodis, Joſeph per angelum Domini in ſomnis iubetur ſurgere, et accipere puerum et matrem eius, et fugere in Ægyptum: *eratque ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur*, ſubdit Evangeliſta, *quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Id quod iterum miniſterio angeli Joſeph in ſomnis apparentis factum eſt mortuo Herode: Iterumque, dum illo ire timuit, „quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode, admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur, quod dictum eſt per prophetam: Quoniam Nazaræus vocabitur;" reſplendente ubique admirabili circa infantem Dei Filium divina œconomia, humana divinis attemperante, angelorum in infantia miniſterio, quod Chriſtus ſingulare in hac ætate Matth. XVIII. 10. nobis manifeſtat: „Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia an-

a) *Matth. II.*

geli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est." Sic vero in Christo ab ipsa incarnatione ſua divina humanis conſociata videmus, ut miniſterium angelorum, quod ſingulariter circa infantes intelligimus voce Domini, in Christo infante tam conſpicuum admiremur.

Interim *puer creſcebat, et confortabatur plenus ſapientia, et gratia Dei erat in illo a)*, quam ſtupebant in illo duodenni ſedente in medio doctorum audiente illos *b)*, et interrogante eos in templo, cum redeuntibus post festum parentibus ſolus remansiſſet Jesus in Jerusalem. Inventus post triduum a parentibus matri quidem querulanti indicavit, quæ ſibi *in his, quæ Patris ſui* æterni in cœlo *ſunt*, incumberent. *Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos c)*. Est hæc divina Evangelii Christi Verbi incarnati œconomia, quam nobis apud Anastasium Sinaitam in Odego Melito episcopus Sardicensis Sæc. II. *cœlesti cognitione excellens*, ut eum laudat Anastasius, pandit ex lib. illius contra Marcionem, qui perinde periit ac eius Apologia ad Marc. Antoninum, Chriſtum nimirum annis triginta ante baptismum ſuam humanitatem, tribus autem post baptismum per miracula ſuam divinitatem demonstrare voluiſſe. Unde ad id usque tempus, latente Verbi divini divinitate, Christus puer, et adolescens exhibuit ea, quæ parentibus in terra deberentur: *Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat ſubditus illis d)*:

a) Luc. II. 40. *b) Ib.* 47. *c) Ib.* 48. *d) Ib.* 50.

divina nimirum ſeſe œconomia humanæ conditioni accommodante, addit unum hoc Evangeliſta: *Et mater eius conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo. Et Jeſus proficiebat ſapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines a).*

BAPTISMUS JOANNIS, ET CHRISTI.

VIII. Hæc vero omnia prætereunt ſilentio cæteri præter Lucam Evangeliſtæ: tacent quoque voces angelorum, quorum in eius infantia audivimus, vidimusque miniſteria tam frequentia, vaticinia etiam ac prophetias; donec *anno quinto decimo imperii Tiberii Cæſaris etc. factum eſt verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto b).* Atque hinc Marcus Evangeliſta auſpicatus, ſic infit *c)*: „Initium Evangelii Jeſu Chriſti Filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia propheta: Ecce! ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te: Vox clamantis in deſerto: parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius *d).*" Quem ſibi prophetæ locum ipſe Joannes ſuum facit, dum prædicare in deſerto Judææ incipit, „dicens *e)*: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. Hic eſt enim, qui dictus eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius." Et cum Judæi ab Jeroſolymis mit-

a) Luc. II. 51. *b) Ib. III. 1.* *c) Marc. I. 1.*
d) Iſai. XL. 3. *e) Matth. III. 2.*

terent ad eum *a*), ut interrogarent eum, quis esset, „ut responſum, aiunt, demus his: qui miſerunt nos? Quid dicis de teipſo? Ait: Ego vox clamantis etc. Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta? Reſpondit eis Joannes dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis," Chriſtum indigitans, cuius baptiſmum, quomodo a ſuo diſtinxerit, reliqui tres Evangeliſtæ teſtantur *b*): „Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni. Cuius ventilabrum in manu ſua: et permundabit aream ſuam: et congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili."

Concordant hæc cum prophetia Simeonis paulo ante allata, poſitum eſſe Chriſtum in ruinam, et in reſurrectionem multorum in Iſrael. Quæ vero idem Simeon in ſuo cantico de vocatione gentium habet, S. Joannes admirabili allegoria Judæis, ſimulque reprobationem eorum indicat *c*): „Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt: omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur."

a) *Jo. I.* 19. *b*) *Matth. III.* 11. *c*) *Ib.* 9.

Narrat deinde Evangeliſta, quomodo Jesus a Galilæa venerit in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo *a*), ubi non iam angeli, ſed ſingulæ, diviniſſima Evangelii Christi Verbi incarnati œconomia, comparent SS. Trinitatis perſonæ, in quorum nomine Christus poſtea baptiſmum ſuum instituit, dum apostolos ſuos ad prædicandum Evangelium in univerſum mundum miſit: „Baptizatus autem, ſunt verba Evangeliſtæ *b*), Jesus confestim aſcendit de aqua, et ecce aperti ſunt ei cœli, et vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, et venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui." En paternam de unigenito Filio ſuo vocem, in quo homine facto ſolo ſibi complacere potuit, iamiam genere humano per Christum baptizando *in Spiritu Sancto et igni:* qui Spiritus Dei hic in ſpecie columbæ apparet: idem quo ſuum Joannes a baptiſmo Christi distinguit, quem instituens Christus poſt reſurrectionem ſuam, „Data est mihi, inquit *c*), omnis poteſtas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti." Qui est baptiſmus *in nomine Jeſu d*), quo baptizandi erant, baptizati *in Joannis baptiſmate.*

An experimentum paternæ in baptiſmo, de Filio ſuo dilecto vocis capere voluit ſatanas? dum

a) *Matth. III.* 13. *b*) *Ib.* 16. *c*) *Ib. XXVIII.* 18.
d) *Act. XIX.* 5.

egreſsus a Jordane Jesus ſecedens in desertum *a*) „ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus [et nihil manducavit in diebus illis *b*)] accedens tentator dixit ei: si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: ſcriptum est: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.“ An hic respexit Christus ad vocem de Verbo divino unigenito Filio Dei, dum baptizaretur a Joanne cœlitus factam? Certe cum in ſecundo aggreſsu idem diceret ſatan: *Si filius Dei es, mitte te deorsum*, responsio Christi, *Non tentabis Dominum Deum tuum*, et ad tentationem tertiam, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi ſoli ſervies*, Christum etiam Filium Dei respiciebat, qui una voce *Vade ſatana*, eum divina virtute fugavit: *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum c*), postquam consummata omni tentatione, *Ecce angeli acceſserunt, et ministrabant ei.* Habemus hic confeſsionem *cœlestium* in ministerio angelorum, *terrestrium* in Magis, Simeone, et Anna, imprimis vero S. Joanne; *infernorum*, dæmonum hic et alias experimentum capientium divinitatis eius, deiectorum ſuo in humanum genus imperio.

a) *Matth. IV.* 2. *b*) *Luc. IV.* 2. *c*) *Phil. II.* 10.

JOANNIS BAPTISTÆ, ET ALIORUM TESTIMONIUM DE DIVINITATE CHRISTI.

IX. Id vero omni contentione egit apud ſuos auditores Chriſti præcurſor, ut eius divinam originem apud eundem Evangeliſtam Joannem eodem argumento, quo Evangeliſta in exordio Evangelii ſui a nobis ſupra num. II. expenſo, atque ipſe Chriſus poſtea Iudæis verbis illis: „antequam Abraham fieret, Ego sum, Qui sum *a*), ὁ ὢν, Jehova, demonſtret *b*): teſtimoniumque perhibet de ipſo, et (ter idem ingeminans) clamat dicens: Hic erat, de quo dixi: Qui poſt me, venturus eſt, ante me factus eſt ἔμπροσθέν μȣ γέγονεν, quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia: quia lex per Moyſen data eſt, gratia et veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui eſt (Qui est *c*), ὁ ὢν, Jehova) in ſinu Patris (quem credimus, ac profitemur in ſymbolo Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcula etc. Qui propter nos homines, et propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis) ipſe enarravit.

Poſtquam hoc modo S. Præcurſor omnia illa infinita gratiarum per divinam Evangelii Chriſti Verbi incarnati œconomiam humano generi allata bona, et collata dona denuntiaſſet; *d*) *altera die vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, et dicit: Ecce*

a) *Ex. III.* 14. *b*) *Jo. I.* 15. *c*) *Ex. III.* 14. *d*) *Jo. I.* 29.

agnus Dei, *ecce qui tollit peccatum mundi*, redemtionis nostræ pretium per vitam et mortem Christi ſolutum ob oculos ponens: idque repetit, dum post hanc alteram, adhuc *a*) „altera die iterum ſtabat Joannes, et ex discipulis eius duo. Et respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et ſecuti ſunt Jesum . . . Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant a Joanne, et ſecuti fuerant eum. Invenit hic primum fratrem ſuum Simonem, et dicit ei: Invenimus Messiam (quod est interpretatum, Christus) et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.“

Vides hic Christum, cum primum ſibi discipulos consociat, de fundamento ſollicitum, ſuper quod ædificaturus esset Ecclesiam ſuam, accepta postea a Petro confessione, quod esset Christus Filius Dei. Quam laudans in Petro confessionem Christus: *Beatus es*, inquit *b*), *Simon Bar-Jona*; *quia caro et ſanguis non revelavit tibi*, *ſed pater meus*, *qui in cælis est.* Qui nimirum Pater cœlestis Filio ſuo testimonium reddidit mox in baptismo *c*) et postea in transfiguratione ſingulariter Petro, Jacobo et Joanni, elapsa voce de cœlo *d*): *Hic est Filius meus dilectus*, *in quo mihi bene complacui: ipsum*

a) *Jo. I.* 35. *b*) *Matth. XVI.* 17. *c*) *Ib. III.* 17. *d*) *Ib. XVII.* 5.

audite. Teſtatus hanc rem Petrus in ſecunda ſua Epiſt. I. 18. etc. *Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum eſſemus cum ipſo in monte ſancto: et habemus firmiorem propheticum ſermonem*, non foris tantum voce inſonante, ſed intus revelante.

Chriſtus de divinitate ſua alterum mox post Joannem præcurſorem teſtimonium *a*) acceperat a Nathanaele, quem Philippus, et tunc ipſe a Chriſto vocatus, adduxerat: „Rabbi tu es Filius Dei: tu es rex Iſrael: Reſpondit Jesus; et dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te ſub ficu, credis; maius his videbis. Et dicit ei: Amen, Amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et angelos Dei aſcendentes et deſcendentes ſupra filium hominis.“ Dum Nathanael vocat Chriſtum Filium Dei, ipſe ſe vocat Chriſtus filium hominis, cum eſſet utrumque Deus et homo. Tantum vero abeſt, ut reſponſio Chriſti excludat confeſſionem Nathanaelis de eius divinitate, ut contra eo illam adſtruat argumento, quo poſtea D. Paulus ad eandem Hebræis demonſtrandam Chriſti divinitatem eſt uſus *b*): „Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, et miniſtros ſuos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi etc.“

Ita vero per totum Evangelium ſe Deum ſimul et hominem Chriſtus exhibet, ac demonſtrat; ut

a) *Jo. I.* 49. *b*) *Hebr. I.* 6.

qui Filium Dei negat Christum, eum blasphemiæ arguat cum Judæis lapides ſustollentibus, ut lapidarent eum, quod dixisset: *Ego et Pater unum ſumus a)*: In animum ſibi inducere non poterant hominem ſimul esse Christum et Deum. Palam vero est de vero naturali Deo, Filioque Dei rem esse, atque in mente habuisse Judæos, esseque argumentum a minori ad maius, quo Judæos ſtringit Christus *b)*: „Nonne ſcriptum est in lege vestra: quia ego dixi dii estis? Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus est, et non potest ſolvi ſcriptura: quem Pater ſanctificavit (uniendo hypostatice humanam in Christo cum divina naturam) et misit in mundum (qui est in ſinu Patris: qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo) vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei ſum." Idem itaque est, quod Christus dixerat: *Ego et Pater unum ſumus*, et quod modo dicit *Filius Dei ſum, quem misit in mundum*: quod etiam Martha profitetur *c)*: *Quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. E ſinu Patris*, dum quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, idem ipsum *caro factum est, et habitavit in nobis.* Quæ omnia nisi in ſensu naturali vera fuissent, Christus de se dici ac prædicari permittere haud potuisset ſine blasphemia, ac longe maiori impostura, quam illa de qua post mortem illum impetabant: *Quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam.*

a) Jo. X. 30. *b) Ib. 34.* *c) Jo. XI. 27.*

CHRISTUS SE UBIQUE DEUM OMNISCIUM IN EVANGELIO DEMONSTRAT.

X. Inter eos diſcipulos, quibus ſe ad mare Tiberiadis poſt reſurrectionem manifeſtavit Chriſtus, fuit Nathanael, qui, ut modo vidimus Chriſtum poſt Joannem baptiſtam primus fuit profeſſus Filium Dei; eoquod, antequam eum vidiſſet, Chriſtus, quis et qualis eſſet etiam intus in corde, ei manifeſtavit: quod ſolius Dei eſt Καρδιογνώστης. „Ecce *a*), dicebat Chriſtus de eo, vere Iſraelita, in quo dolus non eſt. Dicit Nathanael: unde me noſti? Reſpondit Jeſus, et dixit ei: Prius quam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te." Intellexit ergo Nathanael Chriſto etiam perſpecta eſſe quæ procul ſunt remota: cuiusmodi vero teſtimoniis et argumentis totum refertum eſt Evangelium, palamque fit, ſive locum ſive tempus ſpectes, Chriſto omnia pervia fuiſſe ſicut nobis præſentia, ita illi ſive abſentia, ſive futura; non quædam tantum ſingillatim ſicut prophetis: neque, quemadmodum illi, Chriſtus, cum eſſet ipſe Dominus, uſus fuit verbis: *Hæc dicit Dominus.* Eſt hoc nobis præſertim invictum evangelicæ veritatis argumentum, qui præſentes ad miracula Chriſti non fuimus, incredulis maxime illis, qui, quod non viderunt, credere tergiverſantur, dum in lectione evangelica uno veluti obtutu ſeu complexu præ occulis cernunt, Chriſtum, quamdiu inter homines eſt converſatus, de ab-

a) *Jo. I.* 47.

ſentibus et futuris ad remotiſsima usque tempora usque ad conſumationem ſæculi ita locutum fuiſse, ut nos cæteri de præſentibus.

Cuiusmodi insigne mox ſpecimen dedit Christus, dum post nuptias in Cana Galilææ primum proceſsit ad prædicandum Hieroſolymas ad primum paſcha, e templo vendentes et ementes expellens, dictitantibus autem Judæis *a*) : „Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Respondit Jesus, et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.“ Hic ad reſurrectionis dominicæ reſpicitur myſterium; quod tamen coram illis non fore manifeſtandum, cum in excæcatione ſua perſeverarent, poſtea quando iterato poſt tot ac tanta, ſignum petebant e cœlo, Christus eis ſignificat Matth. XVI. 4. „Generatio mala, inquit, et adultera ſignum quærit; ſed ſignum non dabitur ei, nisi ſignum Jonæ prophetæ. Et relictis illis abiit.“ Non hic, ſicut in primo ſermone Chriſtus totum redemtionis noſtræ opus in paſſione, morte et reſurrectione ſua expreſſit, ut, poſtquam perfecta res fuit, agnoverunt eius diſcipuli, quibus ſolis ſe Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam reddidit conſpicuum. „Cum ergo, ait Evangeliſta *b*), reſurrexiſset a mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat: et crediderunt ſcripturæ, et ſermoni, quem dixit Jeſus.“ Subdit Evangeliſta, multos, cum eſſet tunc Hieroſolymis in paſcha, credidiſse in nomine

a) *Jo. II.* 18. *b*) *Ib.* 22.

eius, „videntes ſigna, quæ faciebat. Ipse autem Jesus non credebat ſemetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim ſciebat, quid esset in homine *a*)." Id quod proprium est ſoli Deo ſcrutatori renum et cordium.

Talem se identidem Christus ostendit: veluti ſcribis et Pharisæis observantibus eum, *Si in ſabbato curaret, ipse vero ſciebat cogitationes eorum b*): Apud Pharisæum pransus *c*), dubitantem animo, an mulierem peccatricem ungentem ac lacrymis pedes rigantem agnosceret, *quæ et qualis esset:* dum, Pharisæo item ſinistram cogitationem, quod baptizatus ſeu lotus non esset ante prandium gravissime animo exemerat. Non ſic quidem, ſed longe insigniori modo se talem Christus ostendit Nicodemo, qui venit ad eum nocte, ſeque discipulum Christi non nisi post mortem palam ostendit; Christus autem ſciens quid esset in homine, quod nimirum ſincerus ac ſidus non ſolum iam esset, ſed etiam perseveraturus esset, haud offensus ſcandalo crucis, eidem mysterium initiationis per baptismum et redemtionis per divinam Evangelii Christi Verbi incarnati unigeniti Filii Dei œconomiam pandit: „Nemo, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Et ſicut Moyses exaltavit ſerpentem in deserto, ita exaltari oportet filium ho-

a) *Jo. II.* 23. 24. 25. *b*) *Luc. VI.* 7. *c*) *Ib. VII.* 39.

minis (in cruce) ut omnis, qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam etc." Quæ vero ſucceſsu tandem temporis erant implenda, ut nos coram in orbe christiano intuentes credimus. Mulier vero illa Samaritana credidit contestata civibus *a*): „Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: nunquid ipse est Christus? Cumque *b*) manſiſſet ibi Christus duos dies: multo plures crediderunt in eum propter ſermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, et ſcimus, quia hic est vere Salvator mundi." Christus autem arrepta hac occasione edixit ſuis discipulis, quod nos deinceps factum, mundo ad Christum converso coram cernimus: *Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem c*). Dum nempe afferentibus discipulis cibum dixerat Christus: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius:* prædicando nimirum Evangelium regni Dei, quod appropinquare denunciabat Judæis incredulis ſigna postulantibus. Hoc Christus regulo illi *in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum d*) exprobrat postulanti, ut Capharnaum *deſcenderet, et ſanaret filium eius, incipiebat enim mori. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi ſigna et prodigia videritis, non creditis.* Christus vero, dum dicit regulo:

a) *Jo. III.* 29. *b*) *Ib.* 40. *c*) *Ib.* 35. *d*) *Ib. IV.* 46.

Vade, filius tuus vivit a) divina, quæ ageret ipse Filius Dei, etiam absens procul oſtendebat: uti etiam centurioni *b)*, qui indignum ſe profitebatur, ut intraret Chriſtus in domum eius, in ſanando puero, et Syrophœniſſæ in filia. Quibus in caſibus miraculum in diſtans, cum cognitione rerum abſentium, ut nos præſentia intuemur, coniunctum eſt. Sic procul adhuc a domo Jairi, cum interim mortua eſſet filia, quam ſanitati reſtituendam flagitabat, *Noli*, ait patri *c)*, *timere, crede tantum et ſalva erit.* Id quod adhuc multo luculentius in Lazaro patuit, cum ſorores mitterent ad Jeſum *d)* *dicentes: Domine, quem amas, infirmatur.* Audiens autem Jeſus, dixit eis: *infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Unde et manſit ibi duobus diebus, et poſtea quatriduanum demum reſuſcitavit ad vitam a morte, quam diſcipulis adhuc in itinere conſtitutus, quod hic unice ſpectamus ad demonſtrandam Chriſti unigeniti Filii Dei omniſcientiam, aperuit his verbis: „Tunc ergo Jeſus dixit eis manifeſte: Lazarus mortuus eſt. Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.“ Quod intererat quam maxime, ut cumprimis Apoſtoli in fide firmarentur, id non ſolum miraculis factum, verum etiam eo, in quo nunc verſamur argumento, quod ad noſtram inconcuſſam reddendam fidem palmare eſt, qui coram intuemur ad amuſſim omnia impleta eſſe, quæ a Chriſto Apoſtolis ſuis, quos in univerſum orbem miſſurus

a) Matth. VIII. b) Ib. XV. c) Luc. VIII. 50. d) Jo. XI.

erat, fuerunt prædicta. Sic Christus apud tres Evangelistas Matthæum, Marcum, et Joannem Mariam de effuso pretioso unguento ſuper caput ſuum excusans, et propinquæ mortis se præscium ostendit, et quod nos impletum videmus facti huius memoriam conservatum iri in universo mundo. „Prævenit, ſunt verba Christi Marci XIV. 8. ungere corpus meum in ſepulturam. Amen dico vobis: ubicunque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius."

Vel hinc enimvero, quod a Christo in Evangelio omnia et ſingula adimpleta esse ad præsentem usque diem palam intelligamus, indubitata etiam ipsorum miraculorum, quæ facta esse narrantur, cum cæteris, quibus constat Evangelium, veritatibus omnibus, redditur fides, ibi omnium maxime conspicua, certa, et asserta, ubi facta vaticinia præsertim cum miraculis ſunt coniuncta. Sic dum primum vocat Apostolos *a*), cum per totam noctem laborantes nihil cepissent, Petrus autem in verbo eius laxando rete piscium tam copiosam multitudinem conclusisset, ut rumperetur rete eorum, ſtupor autem eos circumdedisset, ad miraculum hoc, *ait ad Simonem Jesus b*): *Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens:* uti ſimul etiam Andreæ *c*): *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Quales Apostoli facti ſint piscatores hominum, totus mundus testis est, factus christia-

a) *Matth. IV.* *b*) *Ib. v.* 10. *c*) *Ib.* 20.

nus. Similis miraculosa post resurrectionem fuit piscatio in mari Tiberiadis *a)*; post eam vero Petro, testimonio amoris præcipui, oves ſuas et agnos pascendos commisit, prout dudum ei promiſerat: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quod ut ante bis mille annos prædictum fuit et constitutum a Christo, hactenus ſemper experta, ſtat inconcussa Eccleſia ſuper petram ædificata, morte D. Petri dedicata, quam ei Christus prædixerat, dum, ut modo meminimus, post resurrectionem oves et agnos pascendos commisit: *Cum eſses iunior, cingebas te, et ambulabas, quo volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas etc.* in cruce nimirum, exemplo magistri ſuspensus Romæ, *ubi*, Tertulliano teste *b)*, *Petrus passioni dominicæ adæquatur.* Calicem etiam Domini bibit cum fratre S. Joannes, qui hæc narrat, a morte tamen, prout utrumque prædictum fuerat a Christo, præservatus *in oleum igneum demersus, nihil passus*, prout l. c. porro commemorat Tertullianus.

Cum primum mitteret Christus Apostolos ſuos dans eis virtutem et potestatem ſuper omnia dæmonia, et ut lanquores curarent, ac omnem infirmitatem; *ait ad illos c): Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* De experimento autem huius rei capto cum adhuc cum Christo essent ipsi

a) Jo. XXI. *b) De Præscript. n. 36.* *c) Luc. IX.*

ante paſſionem interrogati teſtantur *a*): *Quando miſi vos ſine ſaculo, et pera, et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.* Porro paſſim quoque apud alios Evangeliſtas ab eis omnem ſollicitudinem quarumcunque rerum in craſtinum abeſſe pluribus inculcat idque variis inductionibus et exemplis. Sic etiam ſingillatim miſit ſeptuaginta duos diſcipulos binos ante faciem ſuam *b*). *Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo c*). Tollit etiam poſtea eandem, quam iam memoravimus, ſollicitudinem: *Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini etc. d*) Quod utique homo præſtare non poterat, aut promittere illis præſertim, quos in univerſum mundum miſſurus erat inter infenſiſſimos hoſtes, et acheronta commotum.

Hæc vero omnia, quæ eos dira maneant, eis prædixit *e*): „Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, et ſimplices ſicut columbæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: et ad præſides et reges ducemini propter me in teſtimonium illis, et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui

a) *Luc. XXII.* 35. *b*) *Luc. X.* *c*) *Ib.* 17.
d) *Luc. XII.* *e*) *Matth. X.* 16.

loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient: et eritis odio omnibus propter nomen meum, qui autem perseveraverit usque in finem, hic ſalvus erit." Ad hanc vero perseverantiam atque constantiam in adversis quibusvis, quando iam illa reipsa eis acciderunt, ipsa recordatio, quod hæc magister eis prædixerit, excitabat animum roborabatque. Quapropter eos, dum iam ſuper se ipsum ventura essent, quæ ſæpe eis prædixerat, proximus passioni ac morti, ſuo eos animat exemplo memoria eorum refricata *a*): „Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis. Non est ſervus maior domino ſuo. Si me persecuti ſunt, et vos persequentur. Si ſermonem meum ſervaverunt, et vestrum ſervabunt." Et paulo post *b*): „Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Absque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, se obsequium præstare Deo." Statim hoc discipuli Domini post mortem Christi, ut ex actibus Apostolorum palam fit, experiri cœperunt, quos, dum vixit tutos præstitit, etiam in horto, cum caperetur: alias etiam non ſolum non passus, ut quidquam eis deesset, verum etiam ceu filios ſponsi vitæ austeritate ea eximens, qua usi ſunt discipuli S. Joannis eo adhuc vivente: quæsitus aliquando eam ob rem „Quare discipuli Joannis ieiunant frequenter *c*), et obsecrationes faciunt, ſimiliter et Pharisæorum, tui autem edunt et bi-

a) *Jo. XV.* 20. *b*) *Ib. XVI.* 1. *c*) *Luc. V.* 33.

bunt? Quibus ipſe ait: Nunquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere ieiunare? Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus." Sunt hi dies illi, de quibus aliquando Chriſtus diſcipulos allocutus, *Venient*, inquit *a*), *dies, quando deſideretis videre unum diem filii hominis, et non videbitis.* Sed enim illi, prædictione hac iterato facta in memoriam revocata, læti, hæc ſibi reputantes gloriæ, ſuſcipiebant, ſuſtinebantque mala mox a morte Chriſti: *Quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati b*).

Indignus autem erat Judas. *Sciebat ab initio Jeſus, qui eſſent non credentes, et quis traditurus eum eſſet*, quod iam tunc futurum prædixerat *c*): *Nonne ego vos duodecim elegi: et ex vobis unus diabolus eſt?* Nihilominus patienter eum tulit, quod ne cæteris offenſioni eſſe poſſet, in ultima cœna, *Ego ſcio*, inquit *d*), *quos elegerim, ſed ut adimpleatur ſcriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum. Ammodo dico vobis, priusquam fiat ut cum factum fuerit credatis, quia ego ſum.* Sic etiam in horto dormientibus diſcipulis, *Venit*, inquit *e*), *hora: Ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce, qui me tradet, prope eſt.* Tum vero accepto iam a proditore oſculo, *Jeſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit etc. f*). Promptus tunc adhuc ſequebatur cum diſcipulis

a) *Luc. XVII.* 22. *b*) *Act. V.* 41. *c*) *Jo. VI.* *d*) *Ib. XIII.* 18. *e*) *Marc. XIV.* 41. *f*) *Jo. XVIII.* 4.

aliis Petrus, ea animoſitate, qua Chriſto reſponderat paulo ante in cœna prædicenti *a*): „Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, et diſpergentur oves gregis. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Reſpondens autem Petrus ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Ait illi Jeſus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.“ Sequebatur quidem Petrus in atrium ſummi ſacerdotis cum Joanne dum cæteri *diſcipuli relicto eo fugerunt b*), iam ſcandalum paſſi in horto, quod *ipſa hora*, cum illuc pergeret Chriſtus, illis iterato prædixerat *c*): „Ecce venit hora, et iam venit, ut diſpergamini unusquisque in propria, et me ſolum relinquatis: et non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt. Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis; ſed confidite, ego vici mundum.“

Jam prius in hoc ultimo ſermone ad hanc fiduciam animaverat in tanto tam neceſſariam diſcrimine, ne a Patre derelictum magiſtrum in animum inducerent: „Non creditis, iterato ait *d*), quia ego in Patre, et Pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipſe faciet, et maiora horum faciet: quia ego

a) *Matth. XXVI.* 31. *b*) *Ib.* 56. *c*) *Jo. XVI.* 32.
d) *Ib. XIV.* 11. *etc.*

ad Patrem vado. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.“ Nil adeo, et tam frequenter Christus quam fiduciam in petendo ac orando certa obtinendi ſpe inſtillat in Evangelio. Prædicit etiam in hoc ultimo ſermone Jo. XVI. 26. *In illo die in nomine meo petetis: et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem pro vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi.* Iterum hic testimonium dilectionis ex opere, uti loco mox citato Jo. XIV. 15. ſtatuit. „Si diligitis me, mandata mea ſervate. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, et in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.“ Quæ, quæſo, et quanta ſunt hæc promiſſa, de quibus ne dubitare poſſent, in proximo adimplenda, *Et nunc*, ſubdit *a*), *dixi vobis prius, quam fiat: ut cum factum fuerit, credatis*, tribus nimirum mox poſt diebus, dum Christus reſurgens Mariæ Magdalenæ primum, et cæteris mulieribus ſe videndum præbuit, quæ ſunt iuſſæ *cito euntes dicere discipulis eius, quia ſurrexit: et ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis. Ecce prædixi vobis b*), in ultima nimirum cœna, ut modo vidimus, et alias, re etiam cæteris Judæis infensiſſimis hoſtibus nota, Pilato

a) *Jo. XIV. 29.* *b*) *Matth. XXVIII. 7.*

custodes ad ſepulchrum poſtulantibus: *Quia ſeductor ille dixit adhuc vivens post tres dies resurgam a).* Omne vero deſiderium ſuperant, quibus Chriſtus reſurrectionem ſuam a Maria Magdalena fratribus ſuis, ut primum hic vocat diſcipulos ſuos, voluit nunciari. „Vade autem ad fratres meos, et dic eis *b*): Aſcendo ad Patrem meum, et Patrem veſtrum, Deum meum, et Deum veſtrum.“ Quod et factum, ut prædictum fuerat, poſtquam Chriſtus præbuit ſe ipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. Et conveſcens, præcepit eis ab Jeroſolymis ne diſcederent, ſed exſpectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis, inquit, per os meum: Quia Joannes quidem baptizavit vos aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non poſt multos hos dies, nempe cum complerentur dies pentecoſtes,“ ut impleta res narratur Act. II. Aſcendente autem Chriſto in cœlum *c*), „Ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum; hic Jeſus qui aſſumtus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.“

Eſt hoc quod Chriſtus Matth. XXVI. 64. Marc. XIV. 62. cum ſtaret coram ſynedrio iudicandus edixit proxime ante paſſionem ſuam, quam toties ſecundum ſingulas circumſtantias prædixerat apud Matthæum XVI. 21. poſtquam Petro

a) Matth. XXVII. 63. *b) Jo. XX. 17.* *c) Ib. 10.*

primatum Eccleſiæ conceſſerat: Apud Marcum IX. 44. poſt transfigurationem in monte: Apud Lucam IX. 32., cum eſſent in via aſcendentes Jeroſolymam: Apud Joannem XII. 1. XIII. 1. biduo ante ultimum paſcha: *Sciens Jeſus, quia venit hora eius, ut transeat de mundo:* ad quod parandum dum mittit Petrum et Joannem: „Ite in civitatem, inquit, et occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, ſequimini eum, et quocunque introierit, dicite domino domus, quia magiſter dicit: ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande ſtratum; et illic parate nobis. Et abierunt diſcipuli eius, et invenerunt ſicut dixerat illis, et paraverunt paſcha *a*).“ Quemadmodum paucos ante dies ante ſolemnem ſuum ingreſſum in Jeruſalem duos ex diſcipulis ſuis miſit, „et ait illis *b*): Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, et ſtatim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit: ſolvite illum et adducite. Et ſi quis vobis dixerit: Quid facitis? Dicite: quia Domino neceſſarius eſt: et continuo illum dimittet huc.“ Uti articulatim omnia, prout prædictum a Chriſto fuerat in via procul adhuc acciderunt.

Impletum ex parte tunc fuerat, quod Chriſtus prædixerat urbi Jeruſalem *c*), „Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, et noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico enim

a) *Marc. XIV.* 13. *b*) *Ib. XI.* 2. *c*) *Matth. XXIII.* 37.

vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini." Quod futurum in ſecundo adventu ſperatur ſincerius acclamandum, quam in ſolemni illo ingreſſu acclamatum fuit a turbis: Jesus autem „ut appropinquavit, videns civitatem flevit ſuper illam dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo: et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te et filios tuos, qui in te ſunt: et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eoquod non cognoveris tempus visitationis tuæ *a*)."
Quæ, cum cæteris Judaicæ gentis fatis ſpatio quadraginta annorum tunc adimpletis, memoria hominis bis mille propemodum annorum decurſu oculis nostris obverſantur; habent vero Judæi testem omni exceptione maiorem de *bello Judaico* illo, cui ipse adfuit, faſſus divina id genti ſuæ accidisse nemesi, prout obduratis illis toties Christus prædixerat in parabolis et palam „Dixit ergo iterum eis Jesus *b*): Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire... Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris, si enim non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato vestro.

Quod mox ſubſequitur ad ſpem illam quoque referri queat, quæ ſupereſt, fore aliquando, ut

a) *Luc. XIX.* 41. *b*) *Jo. VIII.* 21.

et Judæi participes ſint reddendi redemtionis per crucem: „Dixit ergo eis Jesus *a*): Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego ſum, et a me ipso facio nihil, ſed ſicut me docuit Pater, hæc loquor.“ Parallelus est hic locus cum illo apud eundem Evangelistam *b*): „Nunc iudicium est huius mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, ſignificans, qua morte esset moriturus.“ Animam nimirum ſuam positurus pro ovibus ſuis pastor bonus, ut de se dixerat *c*): „Ego ſum pastor bonus. Bonus pastor animam ſuam dat pro ovibus ſuis . . . . Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere; et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.“ Maximum hoc omnium est inter Christi vaticinia, quod cernimus iam in aliis ovibus, gentilibus impletum: dum adhuc perstat Judaica perfidia perinde etiam a Christo prædicta: „Cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone et Austro, et accumbent in regno Dei. Et ecce ſunt novissimi, qui erunt primi; et ſunt primi, qui erunt novissimi *d*).“ Sunt hæc a Christo tunc prædicta, quando nec minima ſpes affulgere poterat ſtupendi illius eventus, quem tam celeri cursu perfectum in conversione gentium ſtupuit orbis a

a) *Jo. VIII.* 28. *b*) *Ib. XII.* 31. *etc.* *c*) *Jo. X.* 11. *d*) *Luc. XIII.* 28.

rudibus piſcatoribus, quos Chriſtus in cruce, poſtquam latroni *Hodie mecum eris in paradiſo*, promiſiſſet, *ſciens, quia omnia conſumata ſunt*, mortuus, ante paſſionem pollicitus, non relicturum ſe orphanos, quales erant ab omnibus derelicti, poſt reſurrectionem ſuam, miſit in univerſum mundum a) *prædicare Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur etc.* Modo audivimus, Chriſtum in ſe credenti promiſiſſe, *opera, quæ ego facio, et ipſe faciet, et maiora horum faciet*, ut acta non ſolum apoſtolorum, ſed alia etiam deinceps eccleſiaſtica docent. Additur Matth. XXVIII. 20. *Et ecce ego vobiſcum ſum usque ad conſumationem ſæculi.* Quæ eſt promiſſio conſolationis plena *contra ſpem in ſpem* b) data apoſtolis in eorum etiam ſucceſſoribus hactenus perennans, quin autem usque ad conſumationem ſæculi perennatura ſit, ambigendi quis locus eſſe poſſit? nobis, qui in Chriſtum credimus, ſpe ac fiducia unice ſalutari: qui dum cernimus hæc et alia omnia, quæ in Evangelio tot et tanta ſunt prædicta ac promiſſa, omnia et ſingula ad apicem eſſe completa, indubitata credimus fide, quæ adhuc ſuperſunt, in hac et altera æterna vita fore implenda, quod univerſam attinet divinam Evangelii Chriſti Verbi incarnati œconomiam c): „Ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui mi-

a) *Marc. XVI.* 15.   b) *Rom. IV.* 18.   c) *Jo. V.* 23.

ſit illum. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, et in iudicium non venit, ſed transit a morte in vitam.

Nullam Christus prætermiſit occaſionem, ut Judæos terreret, quæ eis imminerent, prædicens. Cum ei nunciaretur de Galilæis, quorum ſanguinem miſcuit Pilatus cum ſacrificiis eorum Luc. XIII. 2. *Reſpondens dixit eis: Putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis: ſed niſi pænitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* Sic interrogatus a diſcipulis de cæco nato Jo. IX. 2. *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut cæcus naſceretur? Reſpondit Jeſus: Neque hic peccavit, neque parentes eius: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Quæ ſunt ſolius omniſcii Dei. Qualem ſe etiam in futuris conditionatis oſtendit Matth. XI. de Tyriis et Sidoniis etc. ſimulque ſe futurum iudicem. Apud Joannem modo citatum teſtatus Patrem omne iudicium dediſſe Filio *Amen, amen*, pergit, *dico vobis, quia venit hora, et nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent.* Poſſunt hæc intelligi ſive ſingulariter de iis, qui reſurgente Chriſto ſimul erant reſurrecturi, ſive complexim de reſurrectione illa, de qua poſtea Chriſtus *a*): *Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.* Quando nempe *b*) *Filius hominis*

a) *Jo. VI.* 39. *b*) *Matth. XVI.* 27.

venturus est in gloria Patris ſui cum angelis ſuis: et tunc reddet unicuique ſecundum opera eius. Hic se vocat Christus Filium hominis, apud Joannem, ut modo vidimus Filium Dei, ad cuius vocem mortui vivent; ſed mox ſubdit de se Filio Dei: *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est a).* Unde illustrantur, concilianturque cum præsenti themate nostro, Christum se ubique Deum omniscium demonstrare in Evangelio, quæ apud Marcum (quem Matthæi pedisequum, et breviatorem S. Augustinus, Irenæus Petri interpretem vocat) leguntur *b*): *De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*, ut ad verbum etiam habetur apud Matthæum; tantum quod hic omisso Filio habeat *nisi ſolus Pater*. Caveamus vero ne vel imprudentes hic cum Judæis ad ea verba, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor c*), offendamus, rem ex responsione Christi edocti: „Amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc et Filius ſimiliter facit. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei opera, ut vos miremini. Sicut enim Pater ſuscitat mortuos, et vivificat: ſic et Filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio.“ Pertinent hæc ad ea, quæ adhuc implenda, de quibus, cum innumera alia prædicta iam fuerint impleta, dubium ſuperesse non potest: atque eorum veritas, quæ in Evangelio prædicta iam im-

a) *Jo. V. 27.* *b*) *Marc. XIII. 32.* *c*) *Jo. V. 16.*

pleta ſunt, aut implenda ſunt ſucceſsu temporum, ſit aſſertior. Dumque eorum omnium, quibus totum Evangelium pertextum eſt, ac repletum, vaticiniorum de futuris impletionem coram intuemur, ac palpamus, de miraculis, quibus itidem Evangelium pertextum eſt ac repletum, nullum poteſt eſſe reliquum dubium: Si enim prædicta non fallunt, nec facta fallere poſſunt quamcunque mirabilia ſint, nec veritates aliæ ac myſteria quantumcunque captum noſtrum excedunt, eodem ore prolata, ſermone contexta, calamo conſcripta, ac fide probata.

PRIMUM MIRACULUM CHRISTI, QUO DISCIPULIS MANIFESTAVIT GLORIAM SUAM; JUDÆIS SIGNUM JONÆ PROMISSUM.

XI. Jam meminimus ex Melitone contra Marcionem (qui Chriſtum verum hominem eſſe negabat) cum ex ipſius poſt baptiſmum actionibus eius quidem divinitas eluceſcat, idemque ante baptiſmum ſuam humanitatem iam demonſtraſſet, „non eſſe neceſſarium his, quos ratio non fugit, ex actionibus Chriſti poſt baptiſmum adſtruere, et demonſtrare animæ et corporis eius, et humanæ naturæ nobiſcum convenientis veritatem, et ab omni fictione remotionem. Nam quæ poſt baptiſmum a Chriſto geſta ſunt, maxime miracula, latentem eius divinitatem potiſſimum mundo comprobabant, et confirmabant: cum enim Deus

ſimul et homo perfectus eſſet, duas naturas ſuas nobis patefecit: divinitatem quidem per miracula triennio illo poſt baptiſmum patrata: humanitatem vero ſuam triginta illis annis baptiſmum antegreſſis, quibus carnis vilitas tegebat, et abscondebat divinitatis ſigna, tametſi revera Deus eſſet ſempiternus. " Contra Marcionis contribules Manichæos etiam facit, quod S. Auguſtinus T. IX. in Joan. hic animadvertit, Dominum, invitatus cum veniſſet ad nuptias, *etiam excepta myſtica ſignificatione* confirmare voluiſſe, quod ipſe fecit nuptias. *Futuri enim erant, de quibus dixit apoſtolus, prohibentes nubere, et dicentes, quod malum eſſent nuptiæ, et quod diabolus eas feciſſet:* cum idem Dominus dicat in Evangelio, interrogatus utrum liceat homini uxorem ſuam dimittere; *quod Deus coniunxit homo non ſeparet.* Hoc non agitur, dum ſponte a nuptiis abſtinetur, atque continentiam Deo vovent, qui, quos Chriſtus laudat, *ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.* Rem quoque Chriſtus proprio ſuo et virginis matris ſuæ exemplo comprobatam imitandam *a*), quibus datum eſt, propoſuerat.

Necdum, quando Nathanael Jeſum Filium Dei, promiſſum Meſſiam, regem Iſrael profeſſus fuerat, Chriſtus miraculum aliquod fecerat, nec tamen temere fidem adhibuerat Nathanael, quippe, cui Chriſtus arcana cordis ſoli Deo pervia patefecerat; aliorum vero diſcipulorum, quos iam vocaverat, ſecum ad nuptias in Cana Galilææ deduc-

a) *Matth. XIX.* 11.

torum fidem aqua in vinum mutata firmavit *a*): *Hoc fecit initium ſignorum Jesus in Cana Galilaeae: et manifestavit gloriam ſuam, et crediderunt in eum discipuli eius.* Palam hinc fit, antequam ullum edidisset miraculum, Christum discipulos congregasse. Arguit vero S. Hieronymus in cap. 9. Matthæi Porphyrium et Julianum apostatam dictitantes, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem ſint ſecuti apostoli. Etsi vero S. Doctor etiam ad miracula ab apostolis visa provocet, ſubdit tamen, quod perinde ad divinam Evangelii Christi Verbi incarnati œconomiam facit: *Certe fulgor ipse, et maiestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.*

Singularis equidem erat hæc divina Evangelii Christi, œconomia, ut miraculis manifestaret gloriam ſuam, ostenderetque a cœlesti Patre ſuo missionem, quam cœpit, cum prope esset pascha Judæorum non multis post diebus, cum ex Cana descendissent Capharnaum ipse et mater eius *b*), et fratres eius, et discipuli eius, cum quibus quasi in comitatu regio ex ſtirpe David in regiam ſuam ascendit Jerosolymam, quæ ipsius effato est *civitas magni regis* *c*), Messiæ nimirum, ubi accipere ſibi regnum, et reverti advenerat, opus redemtionis nostræ consummaturus. Cum primum illuc venit, ingressus templum domum Patris ſui, ſumma, quis esset, mox demonstrat potestate; dum „in-

a) *Jo. II.* 11. *b*) *Ib.* 12. *c*) *Matth. V.* 35.

venit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et nummularios ſedentes. Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque et boves, et numulariorum effudit æs, et menſas ſubvertit. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis," oſtendens ſe cœleſtis Patris filium. „Recordati ſunt vero diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me. Reſponderunt ergo Judæi, et dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Reſpondit Jeſus, et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta et ſex annis ædificatum eſt templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis ſui. Cum ergo reſurrexiſſet a mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius; quia hoc dicebat, et crediderunt ſcripturæ et ſermoni, quem dixit Jeſus *a*)." Obſervandum vero, Chriſtum innumeris aliis apud Judæos inclaruiſſe miraculis, ad quæ illi omnia obdurarunt animum. Spes eſt tamen nobis in ſcripturis haud obſcure facta, eos ſaltem aliquando ante reſurrectionem univerſæ carnis, cuius chirographum in Chriſti reſurrectione habemus, cum diſcipulis ipſius recordaturos, *quia hoc dixit, et credituros ſcripturæ, et ſermoni, quem dixit Jeſus*, converſosque Chriſtum Meſſiam ſuum agnituros.

Eſt hoc ipſum ſignum de quo alibi, cum quidam ex ſcribis et Phariſæis idem iterum pete-

a) *Jo. II.* 14.

rent *a*): „Magiſter, volumus a te ſignum videre: Qui reſpondens ait illis: Generatio mala et adultera ſignum quærit; et ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus et tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.“ De reſurrectione ſua nihil dicit; imo poſtea cum iterum Phariſæi et Sadducæi ſignum peterent, idemque de Jona diceret, mox ſubdit Evangeliſta: *Et relictis illis abiit b)*; quia nimirum Chriſtus reſurgens se Judæis incredulis conſpicuum non exhibuit, dum non magis præcipuo huic reſurrectionis ſuæ ſigno fidem adhibituri erant (ut in parabola de divite et Lazaro Chriſtus futurorum conſcius Judæis inſinuavit) quam aliis innumeris, quæ quamdiu in hac vita fuit, patravit, tunc etiam iam, quando, quod ex S. Joanne attulimus, ad eos primum Jeroſolymis munus prædicationis ſuæ fuit auſpicatus, locutus eſt; addit enim Evangeliſta *c*): „Cum autem eſſet Jeroſolymis in paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius, quæ faciebat. Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis, eoquod ipſe noſſet omnes; et quia opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine;“ nempe (quod ſoli Deo ſcrutanti corda et renes proprium eſt) Καρδιογνώστης.

a) *Matth. XII.* 38. *b*) *Ib. XVI.* 4. *c*) *Jo. II.* 23.

CHRISTUS NICODEMO (UT S. JOANNES BAPTISTA JUDÆIS) DIVINITATEM, UBIQUE VERO SE DEUM ET HOMINEM MANIFESTAT.

XII. Ex horum numero, qui in parabola de ſeminante *temporales* vocantur, *qui non habent radicem in ſe a)*, qui videntes ſigna credidiſſe ſunt viſi, quibus autem Jesus non credebat ſemetipſum eis, non erat Nicodemus homo ex Phariſæis *b)*, qui venit ad Jeſum nocte perſuaſus ex ſignis, quæ faciebat, eum a Deo veniſſe, ſed adhuc humi ſerpebat in elementis legis Moſaicæ ad altiora de divina Evangelii, Chriſti Verbi incarnati œconomia efferendus, cum quid eſſet renaſci non caperet: *Reſpondit Jeſus: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* At Nicodemus de regno Dei cum Judæis adhuc carnaliter ſapiebat; unde capere non poterat regenerationem filiorum Dei, *qui non ex ſanguinibus c)* etc. *Sed ex Deo nati ſunt*, quibus nimirum *dedit poteſtatem filios Dei fieri* Verbum, quod *caro factum eſt, et habitavit in nobis:* Atqui hic eſt, *qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo d)*, quem ſe Chriſtus Nicodemo manifeſtavit. Eſt hæc, quam Salomon vocat *ſcientiam ſanctorum* Prov. XXX. 4. quam ſe ignorare fatetur: *Quis*, pergit, *aſcendit in cælum, atque deſcendit? Quis continuit Spiritum in manibus ſuis? Quis colligavit aquas quaſi in veſtimento? Quis ſuſcitavit omnes terminos terræ? Quod nomen eſt*

a) Matth. XIII. 21. *b) Jo. III. 1.* *c) Ib. I. 12.* *d) Ib. III. 13.*

eius, et quod nomen Filii eius ſi noſti? Per quem nempe omnia facta ſunt, quod, ut Evangelium ſuum S. Joannes auſpicatur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum,* iuxta ac primus S. Joannes Baptiſta teſtimonium reddidit Chriſto, Deum neminem vidiſſe unquam, unigenitum Filium, *qui eſt in ſinu Patris a)*, ipſum ennarraſſe: quod in ultimo teſtimonio antequam ab Herode carceri, necique daretur, Joannes dilucide confirmavit, explicavitque inſigni paraphraſi verborum Chriſti, divinitus accepta revelatione: cum nunquam mutuo converſati legantur Chriſtus et Joannes. Sic vero Joannes *b)*: „Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, terra eſt, et de terra loquitur: qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Et quod vidit, et audivit, hoc teſtatur: et teſtimonium eius nemo accipit. Qui accepit eius teſtimonium, ſignavit, quia Deus verax eſt. Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum. Pater diligit Filium; et omnia dedit in manu eius. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.“ Nempe ut Chriſtus Verbum incarnatum Nicodemo manifeſtat divinam Evangelii ſui œconomiam: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam c).*

a) Jo. I. 18. *b) Ib. III. 31.* *c) Ib. 16.*

Locum hic iterum habet, quod modo de Judæis Christum lapidare volentibus, *de blaſphemia*, diximus. Quod agitant omnes, qui, dum Christum Filium Dei, quem ipse se profitetur, esse negant, cum Judæis blasphemant, blasphemum et impostorem cum christiani nominis hostibus Celso, Porphyrio, Juliano, cæteris, faciunt. Quod dum quidem in tanta luce christianismi dicere palam abhorrent cum Socinianis ingens hodie incredulorum turma, ſibi ipsis haud constantes ſunt, si quid in Evangelio Christi, eius doctrina morum e. g. quam ſupra astra extollunt, ſuspiciunt, ac reverentur in Filio hominis Christo, nisi ſimul unigenitum Filium Dei confiteantur; qualem nempe se Deum et hominem ubique exhibuit, ac demonstravit, cum primum *cæpit Jesus facere et docere*, ut undique cum humilitate conditionis humanæ resplendeat maiestas divina in Christo. Qui dum a se disci voluit, *quia mitis ſum et humilis corde*, ut homo, ſimul passim et ubique ſic se exhibet, ut nisi ſimul esset Deus, falleret exemplum ipsum mitis et humilis corde, proderetque se ac undique manifestaret, ſit venia verbo, ostentatio.

Ita enim totum contextum est Evangelium, ut Deus ſimul et homo ubique compareat Filius Dei, qualem se ipse passim declarat, ac haberi vult, adorari se passus ab eo, cui cæco nato lumen restituit, petens ab eo, ut Filium Dei se agnosceret: *Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, et dixit:*

Quis eſt, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jeſus: et vidiſti eum, et qui loquitur tecum, ipſe eſt. At ille ait: Credo, Domine. Et procidens adoravit eum a). Atqui vero hoc Chriſtus ex ſcriptura veteris teſtamenti ſoli Deo competere Satanæ tentanti edixit *b*): *Vade Satana: Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi ſoli ſervies. Tunc reliquit eum diabolus, et ecce angeli acceſſerunt, et miniſtrabant ei.*

Ex quo ipſo hoc angelorum miniſterio paulo ante D. Paulum divinitatem Chriſti probantem audivimus. Ne quis autem argutetur, eſſe quoque in miniſterium hominum angelos, argumentum proſecutus apoſtolus, atque præoccupans hanc obiectionem: „Ad quem autem *c*) [pergit ad Pſal. CIX. provocans, quem ipſum de ſe interpretatur Matth. XXII. Chriſtus] angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis. Propterea abundantius oportet obſervare nos ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, et omnis prævaricatio, et inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?" Pertinent hæc ad diſcrimen veteris ac novi et æterni (*Non enim angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur d*) teſtamenti per Chriſtum Je-

a) *Jo. IX.* 35. *etc.* *b*) *Matth. IV.* 10. *etc.* *c*) *Hebr. I.* 13. *d*) *Ib. II.* 5.

ſum *a*), „Propter paſſionem mortis gloria et honore coronatum: ut gratia Dei, pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem consummare."

CHRISTUS EVANGELIUM PRÆDICAT POTENS SERMONE ET OPERE.

XIII. Utrique ſermoni et Chriſti cum Nicodemo, et S. Joannis ad ſuos diſcipulos in eo concordat ſermo Chriſti cum Samaritana, ut ſe Meſſiam Samaritanis (quem Iſraelitæ eundem cum Judæis exſpectabant) manifeſtaret, necdum vero omnem perſpectam habebant divinam illam Evangelii Chriſti Verbi incarnati œconomiam, qua *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret: Qui eſt in ſinu Patris b*).

A muliere Samaritana ad fontem Jacob ſedens petierat Jesus bibere, ut anſam inde arriperet, aquam ſalutis ei propinadi: *Si ſcires*, inquit *c*), *donum Dei, et quis eſt, qui dicit tibi: ' da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo, et dediſſet tibi aquam vivam.* Illa naturalem aquam cogitans, rata Chriſtum Judæum fontem illum Jacob contemnere, „Nunquid, ait *d*), tu maior es patre noſtro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipſe ex eo bibit, et filii

a) *Hebr. I.* 8. *b*) *Jo. III.* 16. *c*) *Ib. IV.* 10. *d*) *Ib.* 12.

eius, et pecora eius? Reſpondit ei Jeſus, et dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam." Cum illa dari ſibi peteret hanc aquam, animadverte, quomodo Chriſtus mulierem, et mox Samaritanos, ut ſe Meſſiam eſſe crederent, induxerit, cum agnoſcerent iam eum prophetam. Edocta a Chriſto primum mulier, veniſſe tempus, *quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis*, cultu nempe ad unum reſtricto locum, *adorabitis Patrem*, ad Meſſiam provocat, *qui dicitur Chriſtus: cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Jeſus: ego ſum, qui loquor tecum;* Meſſias nimirum, quo ſe præciſe nomine nunquam Judæis tam aperte manifeſtaverat. Nullum hic intercedit miraculum, ſed quod æque eſt ad divinam Evangelii Chriſti œconomiam demonſtrandam, propheticus quem in Chriſto deprehenderat, ſpiritus, ut crederet mulier verbis eius, dicentis, ſe eſſe Meſſiam: (dum viciſſim Philippo poſtea deſcendenti in civitatem Samariæ prædicanti Chriſtum intenderent a) *turba his, quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes ſigna quæ faciebat*) „Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus: Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: nunquid ipſe eſt Chriſtus?... ex civitate autem illa

a) *Act. VIII. 5. etc.*

multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia, quæcunque feci." Cum autem ibi rogatus Christus manſisset duos dies, „multo plures crediderunt in eum propter ſermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, et ſcimus, quia hic est vere Salvator mundi." Vide, quam ſubito Samaritani ex prædicatione Christi perspectam habuerint divinam Evangelii Christi œconomiam in ſalutem omnium, non Judaicæ tantum gentis, ex qua oriundus erat Messias exspectatio gentium. Evangelista non memorat, an Christus, uti mulieri Samaritanæ ita etiam concivibus eius per propheticum ſpiritum Salvatorem mundi se demonstraverit (dum nulla facti miraculi fit mentio) an vero insita ſermonibus ſuis Verbi divini virtute ſeu fulgore ipso, et maiestate divinitatis occultæ, ut paulo ante ex S. Hieronymo notavimus. *Si enim*, ſubdit is, *in magnete lapide, et ſuccinis hæc esse vis dicitur, ut annulos, et ſtipulam, et veſtucas ſibi copulent; quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos vocabat.*

Digressum ex Samaria (relicta etiam civitate Nazareth, cui testimonium perhibuit, *quia propheta in ſua patria honorem non habet a*) in Galilæam, exceperunt Christum Galilæi, *cum omnia vidissent, quæ fecerat Jerosolymis in die festo.* Venit igitur, et habitavit in Capharnaum maritima civitate in fini-

a) *Jo. IV.* 44.

bus Zabulon et Nephtalim, Gentilibus quaſi e regione lucem Evangelii oſtentans *a*), „ut adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam prophetam: Terra Zabulon, et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem, Galilæa Gentium, populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: et ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Exinde cœpit Jeſus prædicare Evangelium, et dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Idem paucis commemorat Lucas IV. 31. *Et deſcendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat in Sabbatis. Et ſtupebant in doctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo ipſius.* Narrat S. Marcus, Jeſum Sabbatis ingreſſum ſynagogam docuiſſe eos *b*). „Et ſtupebant ſuper doctrina eius: erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens, et non ſicut ſcribæ. Et erat in ſynagoga eorum homo in ſpiritu immundo, et exclamavit dicens: Quid nobis et tibi Jeſu Nazarene? Veniſti, perdere nos? Scio, qui ſis, Sanctus Dei. Et comminatus eſt ei Jeſus dicens: obmuteſce, et exi de homine. Et diſcerpens eum ſpiritus immundus, et exclamans voce magna exiit ab eo. Et mirati ſunt omnes: ita ut conquirerent inter ſe dicentes: Quidnam eſt hoc? Quænam doctrina hæc nova? Quia in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat, et obediunt ei? Et proceſſit rumor eius ſtatim in omnem regionem Galilææ.

a) *Matth. IV. 14. etc.* *b*) *Marc. I. 21. etc.*

Est hæc virtus Dei in Evangelio Christi, de qua discipuli illi, quibus in Emaus ambulantibus post mortem resurgens occurrit Christus, quæritque, qui ſint ſermones, quos conferrent ad invicem *a*)? *Et dixerunt, de Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere et ſermone coram Deo, et omni populo.* Hanc apostoli Petrus et Andreas fratres experti ſunt virtutem Dei, dum a Christo vocati *b*) „protinus relictis retibus ſecuti ſunt eum. Et progressus inde pusillum vidit Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem eius, et ipsos componentes retia in navi. Et ſtatim vocavit illos. Et relicto patre ſuo Zebedæo in navi cum mercenariis, ſecuti ſunt eum." Sicut modo vidimus, memoratur Christus in ſynagoga Judæorum *docens eos*, *quasi potestatem habens*, quam etiam ſentiens virtutem Dei ibi præsens dæmoniacus exclamat, *Quid nobis et tibi Jesu Nazarene? venisti perdere nos.* Et Luca perhibente *c*) „factum est in una dierum, et ipse ſedebat docens. Et erant Pharisæi ſedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ, et Jerusalem: et virtus Domini erat ad ſanandum eos," nempe, ut postea alia occasione narratur *d*): „Qui venerant, ut audirent eum, et ſanarentur a languoribus ſuis. Et qui vexabantur a ſpiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat, eum tangere: quia virtus de illo exibat, et ſanabat omnes." Sed iam hæc ſunt articulatius edisserenda.

a) *Luc. XXIV.* 17. *etc.* *b*) *Marc. I.* 18. *c*) *Luc. V.* 17. *d*) *Ib. VI.* 18.

POTESTAS IN DÆMONES.

XIV. Subdit Marcus l. c. veſpere, cum ſol occidiſſet, allatos ad eum eſſe omnes male habentes, et dæmonia habentes *a*): *Et erat omnis civitas congregata ad ianuam. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, et dæmonia multa eiiciebat, et non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum.* Qua eadem de re Lucas *b*): *Exibant autem dæmonia a multis, clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei: et increpans non ſinebat ea loqui: quia ſciebant ipſum eſſe Christum:*. qui nempe erat destructurus eorum regnum.

Quod vero ex apostolo iam meminimus, dediſſe Patrem Filio ſuo nomen, quod est ſuper omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, apud Marcum legimus Spiritus immundos, dum illum videbant, procidiſse ei, et clamaſſe *c*) *dicentes: Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum.* Sic modo memoratus dæmoniacus clamat; *Scio, qui ſis, Sanctus Dei d*). Sævisſimus vero ille *homo in Spiritu immundo*, ut Marcus narrat *e*), „qui domicilium habebat in monumentis, et neque catenis iam quisquam poterat eum ligare etc. et ſemper die et nocte in monumentis, et in montibus erat clamans, et concidens se lapidibus. Videns autem Jesum a longe, cucurrit,

a) *Marc. I.* 32. *b*) *Luc. IV.* 41. *c*) *Marc. III.* 11. *d*) *Ib. I.* 24. *e*) *Ib. V.* 3.

et adoravit eum: et clamans voce magna dixit: Quid mihi, et tibi Jesu Fili Dei Altissimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas." Matthæus duos memorat, qui clamaverunt dicentes *a*): „Quid nobis, et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: et mortui ſunt in aquis." Qui post hæc dæmones, qui tot et tanti eiecti a Christo memorantur in Evangelio, in morbos, dæmoniacosque et in maniacos transformant, porcis ſtolidiores esse oportet, obtusos nempe materialismo ſensus habentes.

Maior nihilominus fuit perversitas cæcitasque Pharisæorum, qui blasphemabant in Beelzebub principe dæmoniorum Christum eiicere dæmonia. Videri poterat inde collusionem finxisse eos, quod dæmonia Christum Filium Dei clamarent non ſemel; at ſemper, quod ſingulariter notandum, dum id calumniabantur Judæi, qui dæmonium habebat, erat mutus, veluti Matth. IX. 32. „Obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et eiecto dæmonio, locutus est mutus, et miratæ ſunt turbæ dicentes: Nunquam apparuit ſic in Israel. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eiicit dæmones." Et Matth. XII. 22. Cum

a) *Matth. VIII.* 29.

iterum turba conveniſſet ac tanta, ut non poſſent neque panem manducare *a)*; hinc forte quidam pertæſi ſui commenſales exierunt tenere eum: „dicebant enim (ipſi furibundi) quoniam in furorem verſus eſt. Oblatus eſt ei tunc dæmonium habens cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur, et videret. Et ſtupebant omnes turbæ et dicebant: Nunquid hic eſt Filius David? Phariſæi autem audientes dixerunt: Hic non eiicit dæmones, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum:" qui verumtamen ab exordio prædicationis ſuæ, poſtquam Satanam ſeſe tentantem divina virtute depuliſſet, eum toties (aliquando etiam legionem dæmonum) ex obſeſſis deiiciens adeſſe ſe ad Satanæ regnum deſtruendum tam luculenter, eiiciendo dæmones tam potenter et frequenter, demonſtravit, ipſis Phariſæis invicto hoc ob oculos poſito argumento *b)*: „Jeſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diviſum contra ſe, deſolabitur: et omnis civitas, vel domus diviſa contra ſe, non ſtabit. Et ſi Satanas Satanam eiicit, adverſus ſe diviſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum eius? Et ſi ego in Beelzebub eiicio dæmones, filii veſtri, (qui eandem a me poteſtatem habent) in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt," ſeſſuri aliquando ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael: *Si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei:* foras nimirum proiecto principe huius mundi Satana. Quem vero cum bonis perinde ac malis ſpiritibus ex rerum natura

a) Marc. III. 20. *b) Matth. XII. 25.*

prorsus tollunt hodierni materialistæ cum Sadducæis, a Pharisæorum ſibi visi blasphemia in Spiritum ſanctum immunes, qui dicebant Christum in principe dæmoniorum eiicere dæmonia: in materialistarum autem hodie tantopere multiplicatorum gratiam, ut in errore firmentur, nunç conquiescere velle videtur in obsessis corporibus Satan, alias per regna, et populos nationum furias exercens.

CHRISTI MIRACULA.

XV. Jam ſupra ex Matthæo retulimus, quosdam de Scribis et Pharisæis ſignum a Christo videre voluisse. Juxta Lucam *a*) *tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo.* Quod alia item occasione apud Matthæum *b*) eundem, et apud Marcum *c*) habetur: accessisse nempe ad eum Pharisæos et Sadducæos, et cœpisse conquirere cum eo, rogasseque illum, *ut ſignum de cælo ostenderet eis, tentantes eum;* ac si alia ſigna omnia meræ illusiones, collusionesque essent; quibus missionem ſuam tam luculenter demonstratum ibat; non ſemel ingratis ad tanta eis præstita beneficia hoc obiiciens Judæis: veluti cum lapides tollerent, ut eum lapidarent, quod unum ſe cum Patre professus esset; cum eum provocassent, ut palam eis diceret, si esset Christus *d*)? *Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis: Opera quæ ego facio in nomine Patris mei,*

a) *Luc. XI.* 29. *b*) *Matth. XVI.* 1. *c*) *Marc. VIII.* 11.
d) *Jo. X.* 24.

hæc testimonium perhibent de me. Et postea: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Est hæc divina Evangelii Christi œconomia Verbi incarnati Filii æterni Patris, quem Judæi Deum ſuum agnoſcebant, Christus vero ſe eius Filium miraculis, operibus ſcilicet Patris ſui veri Dei, demonſtrabat, unum cum Patre: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: et ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, et credatis, quia Pater in me eſt, et ego in Patre.* Etſi vero nihilominus eum vellent comprehendere; multi tamen, cum exiſſet e manibus eorum, vi argumenti percepta *venerunt ad eum, et dicebant: Quia Joannes quidem ſignum fecit nullum: Omnia autem, quæcunque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.* Erat S. Joannes propheta, qui Dei ipſius teſtimonio Deut. XVIII. 22. divinam ſibi fidem conciliare debebat, vero eorum, quæ prædixit, eventu: Sic eorum veritatem, quæ de Chriſto Joannes prædixerat, fatentur, ut modo audivimus, ipſi Judæi; dum viciſſim Joannes apud diſcipulos ſuos Chriſto fidem ex eiusdem miraculis conciliavit. Nempe *a)* „Joannes cum audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, (ut eorum fidem firmaret, non ſuam), ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exſpectamus? Et reſpondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ vidiſtis, et audiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſur-

a) Matth. XI. 2.

gunt, pauperes evangelizantur; et beatus est, qui non fuerit ſcandalizatus in me." Offendebantur nimirum humili ac paupere Christi et discipulorum eius conditione, maiestatem regiam Messiæ in ſolio David apud Hierosolymam in monte Sion desiderantes; cum econtra cernerent pauperes evangelizari, Christum nimirum ad prædicandum Evangelium concursantem turbas et abiectam plebem ſequi, insuper et peccatores.

Statim postquam piscatores vocati, eum relictis retibus, ſecuti essent *a*), *circuibat Jesus totam Galilæam, docens in ſynagogis eorum, et prædicans Evangelium regni* non huius ſæculi, non terreni perituri, ſed cœlestis æterni, *et ſanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo.* Et abiit opinio eius in totam Syriam, extra fines Judææ, quo aliquando per totum orbem prædicandum et disseminandum erat Evangelium hoc regni cœlestis, „et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos. Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judæa, et de trans Jordanem." Cum idem Evangelista vespere quodam facto Christum omnes male habentes curasse narrasset: addit: *ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit.* Factum hoc fuit in domo Petri, postquam ſocrum

a) *Matth. IV.* 23.

eius tangendo manum febri liberaſſet. Nec myſterio caret, quod mox antea promiſerat se venturum, ut puerum Centurionis gentilis paralyticum curaret: *Ego veniam, et curabo eum.* Quaſi vero œconomiæ Evangelii Chriſti ad ſolos Judæos miſſi haud ignarus Centurio reſpondit: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, et ſanabitur puer meus.* Dum nempe Chriſtus apoſtolos ad prædicandum miſit, præcepit eis *a*): *In viam gentium ne abieritis etc.* de se autem, *Non ſum miſſus*, ait *b*), *niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſrael:* Ad apoſtolos locutus de muliere gentili, quæ petebat filiam a dæmone liberari, durius reſpondens, ait: *Non est bonum ſumere panem filiorum, et mittere canibus.* Ut nempe fidem tentaret. „At illa dixit: Etiam domine: nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Tunc reſpondens Jesus ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi, ſicut vis. Et ſanata est filia eius ex illa hora;“ Sic de centurione ſequentibus se dixit, miratus fidem illius „Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel: Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum, filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et ſtridor dentium. Et dixit Jesus centurioni: Vade, et ſicut credidiſti, fiat tibi, et ſanatus est puer in illa hora.

a) *Matth. X. 5.* *b*) *Ib. XV. 24.*

Videmus hic tantum valuiſſe fidem etiam ethnicorum in Chriſtum; econtra legimus modicam fidem in ipſis apoſtolis aliquando notaſſe Chriſtum. Sic Matth. XVI. 7. de pane ſollicitis, miracula multiplicatorum panum in memoriam revocans: „Quid, ait, cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos ſumſiſtis? Neque ſeptem panum in quatuor millia hominum, et quot ſportas ſumſiſtis?“ Pariter dum quondam cum diſcipulis erat in mari, motusque magnus factus eſſet *a*), „ita ut navicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, et ſuſcitaverunt eum dicentes: Domine ſalva nos, perimus. Et dixit eis Jeſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens, imperavit ventis et mari, et facta eſt tranquillitas magna. Porro homines mirati ſunt (mox videbimus in ſimili caſu nautas Chriſtum adoraſſe *dicentes: Vere Filius Dei es*) dicentes: Qualis eſt hic, quia venti et mare obediunt ei?“ Sic etiam dum imperaſſet Jeſus dæmonio; „Obmuteſce, et exi, ſubdit Evangeliſta *b*): Et factus eſt pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate et virtute imperat immundis ſpiritibus, et exeunt? Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. Surgens autem Jeſus de ſynagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis

a) *Matth. VIII.* 23. *b*) *Luc. IV.* 35.

febribus. Et rogaverunt illum pro ea: et ſtans ſuper illam imperavit febri, et dimiſit illam. " Ubi S. Matth. XIV. 15. et XV. 32. narrat miraculum de ſatiatis in deserto quinque panibus et duobus piscibus quinque millibus virorum, ut postea quatuor millibus ſeptem panibus; hic Joannes dicit Christum tentasse Philippum, fidem nimirum illius exploraturus, interrogando a): *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Christus autem Verbum Dei, per quod omnia conservantur, ut facta ſunt, *Fecit*, ut S. Augustinus in hunc locum S. Joannis annotat, *quomodo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis ſegetes, inde in manibus ſuis multiplicavit quinque panes. Ipse enim ſciebat quid esset facturus.*

Conditio quasi ſine qua non in miraculis Christi erat fides ſubiecti: qua fluctuante videre est ipsum Petrum apostolorum principem fluctuare cœpisse in mari: dum is cernens Christum ambulantem ſuper mare iam plena fiducia accepta ab ipso facultate b) „descendens de navicula ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad Jesum. Videns vero ventum validum timuit: et cum cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine, ſalvum me fac. Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. (navicula enim in medio maris iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus) Qui autem in navicula erant, venerunt, et adoraverunt eum, dicentes:

a) *Jo. VI. 5.* b) *Matth. XIV. 26. ſeq.*

Vere Filius Dei es.“ Quare dubitaſti? ait, deficiente nimirum fide, de qua alibi Chriſtus cum rogaſſent eum apoſtoli: *Adauge nobis fidem a)*, ſimilitudinem accipiens a grano ſinapis, quod eſt minimum ex ſeminibus, *ſi*, inquit, *habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro: eradicare, et transplantare in mare, et obediet vobis.* Parallelus eſt locus Matth. XXI. 20. etc. cum mirarentur apoſtoli arborem, cui maledixerat Dominus, tam ſubito exaruiſſe: „Reſpondens autem Jeſus, ait eis: Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, et non hæſitaveritis, non ſolum de ficulnea facietis, ſed et ſi monti huic dixeritis: Tolle, et iacta te in mare, fiet.“ Cum Chriſtus in patria ſua doceret ſabbato *b)*, „multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: Unde huic hæc omnia? Et quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi; et virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Jacobi, et Joſeph, et Judæ, et Simonis? Nonne et ſorores eius hic nobiſcum ſunt? Et ſcandalizabantur in illo. Et dicebat illis Jeſus: Quia non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, et in domo ſua, et in cognatione ſua. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit. Et mirabatur propter incredulitatem eorum.“ Ut vero hic Chriſtus fatetur, non potuiſſe in Nazareth ſe virtutem ullam facere; ita homini illi, qui filium ſuum habentem ſpiritum mutum attulit, cum adhuc in fide vacillaret, dicens *c)*: *Sed ſi quid potes, ad-*

a) Luc. XVII. 6. *b) Marc. VI. 2.* *c) Ib. IX. 21.*

iuva nos, misertus nostri, dicit: *si potes credere, omnia possibilia ſunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: Credo Domine: Adiuva incredulitatem meam.* Sic etiam duos cæcos interrogat. *Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis a):* ſtatim vero erga leprosum illum, qui plenam contestatus fidem *veniens adorabat eum dicens: Domine si vis, potes me mundare, extendens Jesus manum tetigit eum dicens: Volo: Mundare. Et confestim mundata est lepra eius b).*

Nihil adeo mirum est, quam fidem miraculorum Christi vacillare potuisse, quæ tanta, et tam frequentia erant, ac innumera, ubique locorum, paucis quidem illis missionis ſuæ annis patrata, discurrente illo per regionem, urbes, oppida et vicos cum apostolis ac concurrentibus undique populis? S. Marcus *c)* postquam narrasset miraculum quinque millium virorum ſatiatorum quinque panibus et duobus piscibus in deserto, Jesus autem transfretantibus discipulis in Genesaret in mari ambulans ad eos laborantes per noctem in remigando ob ventum validum venisset, mox cessante vento, ſubdit *d)*: „Et percurrentes universam regionem illam cœperunt in grabatis eos, qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse. Et quocunque introibat in vicos, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum,

a) Matth. IX. 28. b) Ib. VIII. 2. etc. c) Marc. VI. 35. d) Ib. 55.

ut vel fimbriam veſtimenti eius tangerent: et quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant." Plena itaque apparet ubique fides, quam vero perfricta fronte detrectant increduli noſtri inaudita pervicacia, ut miracula in rerum natura fieri poſſe negent. Apud Matthæum *a*), Marcum item et Lucam princeps acceſſiſſe memoratur adorans eum, et dicens *b*): „Domine, filia mea modo defuncta eſt; ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, et vivet." Cumque ſurgens Jeſus ſequeretur eum et diſcipuli eius; eadem perfecta fide „ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, et tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe: ſi tetigero tantum veſtimentum eius, ſalva ero. At Jeſus converſus, et videns eam dixit: Confide filia, fides tua te ſalvam fecit. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora." Addit Marcus: „Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius: et ſenſit corpore, quia ſanata eſſet a plaga. Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, converſus ad turbam aiebat: quis me tetigit? etc." De filia autem illa principis defuncta narrat Matthæus l. c. cum eiecta eſſet turba *c*), et tibicines (qui in eo etiam miraculi veritatem firmabant, quod deriderent Chriſtum dicentem: *Non eſt mortua puella, ſed dormit*) Jeſum intraſſe, et tenuiſſe manum eius, et ſurrexiſſe puellam. *Et exiit fama hæc in univerſam terram illam.* Addit Marcus V. 41. Chriſtum tenentem manum puellæ dixiſſe: *Talitha cumi: quod eſt inter-*

a) *Vid. Matth. XIV.* 35. *b*) *Ib. IX.* 18. *c*) *Ib.* 25.

pretatum: Puella ſurge. Et confeſtim ſurrexit puella, et ambulabat. De filio viduæ in civitate Naim, qui iam *a) defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ*, narrat Evangeliſta, cum vidiſſet Dominus, miſericordia motum ſuper eam dixiſſe illi: „Noli flere. Et acceſſit et tetigit loculum (hi autem, qui portabant, ſteterunt) et ait: Adoleſcens tibi dico: ſurge. Et reſedit, qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus ſurrexit in nobis: et quia Deus viſitavit plebem ſuam. Et exiit hic ſermo in univerſam Judæam de eo, et in omnem circa regionem.“ Lazarum quatriduo iam ſepultum reſuſcitaturus voce magna Jeſus clamavit *b)*: *Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus.* Quid vero ad hoc omnium maximum miraculum haud procul a civitate Jeroſolyma factum in Bethania! Unde etiam eius fama multos e civitate attraxerat; Pontifices autem et Phariſæos movit ad novum de Chriſto, imo etiam Lazaro occidendo conſilium. Non diffeſſi eius etiam alia miracula collato concilio dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Alias porro, etiam dum nihil non egerunt, ut criminandi locum arriperent, per ipſa quoque fuerunt confuſi miracula. Sic cum Chriſto in civitate ſua paralyticum offerrent iacentem in lecto, et ipſe videns fidem illorum diceret paralytico *c)*: *Confide fili, remittuntur*

a) Luc. VII. 12. *b) Jo. XI.* *c) Matth. IX. 2.*

tibi peccata tua: quidam de Scribis dixerunt intra se: *Hic blasphemat.* Quia nimirum ſciebant ſolius Dei esse, dimittere peccata. Unde apud Marcum et Lucam habetur: *Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Accessit hic novum divinitatis argumentum, quod apud omnes tres Evangelistas habetur, hæc eos cogitasse intra se. „Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge et ambula? Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet potestatem, dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et ſurrexit abiit in domum ſuam. Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Quid turbæ hic alibique ad tanta miracula dixerint aut egerint, narrant Evangelistæ, qui rem, ac si proletariæ essent, mira ſimplicitate et candore referunt, non extollendo aut ornando; dum invidi vero quidvis excogitant, ut carpendi anſam arriperent religionis etiam prætextu, hoc ipso miraculorum veritatem adstruunt, atque agnoscunt. Tale est illud, quod ſabbato curaret. Quo ipso vero se veteri lege, Moyseque ſuperiorem ac Dominum ſabbati demonstrabat, ut Pharisæis, discipulos carpentibus, quod ſabbato ſpicas vellerent, respondit *a*): *Dominus enim est Filius homi-*

a) *Matth. XII. 8.*

nis etiam ſabbati. Sic cum aliquando introiſſet Synagogam, eſſetque ibi homo habens manum aridam *a*), „obſervabant eum, ſi ſabbatis curaret, ut accuſarent illum. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. Et dicit eis: Licet ſabbatis bene facere, an male? animam ſalvam facere, an perdere? At illi tacebant. Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, et reſtituta eſt manus illi." Sic ex ipſa eorum pertinacia miraculorum fidem firmat ac veritatem, omnia incaſſum ad fovendam potius eorum pervicaciam, noſtram autem roborandam fidem. Cum languido illi triginta octo annorum ad probaticam piſcinam decumbenti diceret: *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula: et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: et ſuſtulit grabatum ſuum, et ambulabat. Erat autem ſabbatum in die illo.* Subdit Evangeliſta: *propterea perſequebantur Judæi Jeſum, quia hæc faciebat in ſabbato.* Et cum cæco nato viſum reſtituiſſet, dicebant de Phariſæis quidam *b*): *Non eſt hic homo a Deo, qui ſabbatum non cuſtodit. Alii autem dicebant: quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? et ſchiſma erat inter eos.* Sollicite percontabantur ab eo, qui cæcus fuerat, quomodo aperti ſint oculi eius, responditque; *ille homo, qui dicitur Jeſus, lutum fecit: et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, lavi, et video.* Quaſi vero aliquid intereſſet, ſabbato lavare.

a) *Marc. III.* 1. *b*) *Jo. IX.* 16.

F 2

Cæcum illum in Bethſaida lentius curaſſe legitur Chriſtus, qui apprehenſa manu cæci *a*), „eduxit eum extra vicum: et exſpuens in oculos eius impoſitis manibus ſuis interrogavit eum, ſi quid videret. Et aſpiciens, ait: video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos eius, et cœpit videre. Et reſtitutus eſt, ita ut clare videret omnia: et miſit illum in domum ſuam, dicens: Vade in domum tuam: et ſi in vicum introieris, nemini dixeris.“ Sic etiam cum ſurdum et mutum adduxiſſent, ut ei manum imponeret, et Jesus illum haud abſimiliter remotum ſputo et tactu ſanaſſet, pariter præcepit illis, ne cui dicerent *b*): *quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant. Et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: et ſurdos fecit audire, et mutos loqui.* Minus nobis hic ratio pervia eſt, nec niſi myſticam reddere cum ſanctis Patribus valemus, cur operoſius cæco huic viſum, ac ſurdo mutoque auditum, et linguæ uſum reſtituere voluerit? quam in Lazaro iam ante quatuor dies mortuo, et ſepulto ſatis claram intuemur, eoquod in Bethaniam adveniſſet Chriſtus, paucis inde poſt diebus ingreſſurus vicinam urbem Jeroſolymam, ut conſummaret opus redemtionis noſtræ, adeſſentque frequentes ex urbe Judæi conſolaturi Lazari ſorores, Mariam ſecuti obviam euntem Jesu *c*): „Jesus ut vidit eam plorantem, et Judæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, et turbavit ſeipſum. Et dixit: Ubi poſuiſtis

a) *Marc. VIII.* 23. *b*) *Marc. VII.* 36. *etc.* *c*) *Jo. XI.* 33.

eum? Dicunt ei: Domine veni, et vide. Et lacrymatus est Jesus. Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur? Jesus ergo rursum fremens in ſemetipso, venit ad monumentum: erat autem ſpelunca: et lapis ſuperpositus erat ei. Ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, ſoror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem: Jesus autem elevatis ſursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me: Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant, quia tu me misisti." En causam, cur benignissimus Jesus tanto hic apparatu uti voluit: qui cum mortuæ, quam memoravimus, principis filiæ (reiectis tibicinibus *a*), et turba tumultuante, derisui etiam se exponens, cum diceret, puellam non esse mortuam, ſed dormire) manum apprehenderet, ſtatim illa ſurrexit; quemadmodum etiam viduæ filium unicum a mortuis ſuscitavit, cum ad ſepulchrum deportaretur non nisi loculum tangendo, atque adolescenti dicendo, ut ſurgeret: ſic imperavit ventis, et febri, uti paralytico, ut tolleret grabatum: utrumque ſanavit, ſolo voluntatis nutu absentibus quoque ſanitatem restituit, præsentibus vero manus imponendo, tangendo, ſolo etiam tactu fimbriæ vesti-

a) *Matth. IX. 23. etc.*

menti ſui; atque mira quævis patravit idem incarnatum, quod in principio creavit cœlum et terram, Verbum divinum ſola voce: *Fiat*, id quod ſynonimum est cum illo ad leproſum dicto verbo: *Volo. Mundare.* Ex plurimis miraculis ea potissimum ſelegimus, quæ fama publica undique fuerunt pervagata, etiam id aliquando, ne fieret, prohibente Christo. Nunquam aut Christum ſuæ aut eius discipulos legimus magistri ſui famæ facta extollendo velificasse, Evangelistis res, quas idcirco propriis eorum verbis referendas duximus, nude et ſimpliciter narrantibus, a prioribus tribus tunc consignatas post mortem Christi literis, ut a coævis potuissent falsi convinci, si falsa narrassent: ad unum dæmoniacum Gerasenum cum Christum ſequi vellet, esseque cum eo, ipse, dum non admisit, *Vade*, inquit a), *in domum tuam ad tuos, et annuntia illis, quanta tibi Dominus ſecerit, et misertus ſit tui.*

AB ILLIS ASSERTA, QUIBUS EANDEM DEDIT POTESTATEM.

XVI. Neminem autem magis, quam ſeipsos fefellissent, si falsa protulissent ſive ſermone apostoli, ſive literis evangelistæ: ex quibus duo erant apostoli; alii duo ea ſcripſerunt, quæ acceperunt ab iis, qui præsentes adfuerunt, uti de se S. Lucas testatur, ſic exorsus ſuum Evangelium: „Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narratio-

a) *Marc. V.*

nem, quæ in nobis completæ ſunt, rerum: ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et miniſtri fuerunt ſermonis; visum est et mihi, aſſecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem." Fuit is S. Pauli discipulus, qui in epistola ad Hebræos *a*) non ſolum ad eos provocat, qui præsentes ab initio Christo adfuerunt, verum etiam ad miracula, et Spiritus ſancti dona, quibus instructi fuerunt: „Quomodo, ait, nos effugiemus, si tantam neglexerimus ſalutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo ſignis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus ſancti distributionibus ſecundum ſuam voluntatem." Præsentes Christo, et cum eo conversatos quod attinet, uti in tanta rerum copia, ſerie et apparatu ſalli non potuerunt, multo minus alios fallere voluisse censendi ſunt, ſiquidem Christo tam contumeliosam mortem in cruce perpeſſo, ſpe, qua illecti erant, fuiſſent frustrati, ac promissionibus ex illius resurrectione, quæ est caput omnium miraculorum, ac religionis christianæ colophon; ex qua omnia dependebant, et consequi necesse erant. Unde idem apostolus, *Quodsi*, ait *b*). *Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo ſperantes ſumus, miserabiliores ſumus omnibus hominibus.*

a) *Hebr. II.* 3. *b*) *I. Cor. XV.* 17.

Dum adhuc cum ſuis eſset Chriſtus *a*), „convocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem præcipiens illis: Euntes autem prædicate dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite." Etſi vero perfectam regni cœlorum ſeu Evangelii regni ſcientiam non habuerint, non potuerunt tamen tunc miſsi falli in iis, quæ ipſis tunc datæ ſunt facultates, an eis ſuus reſponderet effectus. Et revera poſtquam Marcus *b*) eandem apoſtolorum miſsionem memoraſset, ſubdit, exeuntes eos prædicaſse, ut pœnitentiam agerent, et multa dæmonia eiecisse, et unxiſse oleo multos ægros, et ſanaſse. Sic Lucas cum narraſset, deſignaſse Dominum alios ſeptuaginta duos, et miſiſse ante faciem ſuam in omnem civitatem, et locum, quo erat ipſe venturus, memorat paulo poſt, reverſos eſse ſeptuaginta duos cum gaudio dicentes *c*): „Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, et ſcorpiones et ſuper omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit." Cum apoſtoli viderent quemdam in nomine Chriſti, ut S. Joannes referebat, eiicientem dæmonia, prohibuerunt eum *d*): *Jeſus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo eſt enim, qui*

a) *Matth. X.* 1.. , *b*) *Marc. VI.* 12. *c*) *Luc. X.* 17.
d) *Marc. IX.* 37.

faciat virtutem in nomine meo, et poſſit cito male loqui de me. Legitur apud Matthæum *a)*, acceſsiſſe Christum quemdam afferentem filium lunaticum, ut vocabant, dæmoniacum, quem prius obtulerat eius diſcipulis, et non potuerunt curare eum: hunc cum increpaſſet Jeſus, „exiit ab eo dæmonium, et curatus eſt puer ex illa hora. Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum ſecreto, et dixerunt: quare nos non potuimus eiicere illum? dixit illis Jeſus: propter incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc; et tranſibit, et nihil impoſſibile erit vobis.“ Montem Chriſtus non legitur tranſtuliſſe, promiſit tamen ſuis, eos maiora horum, quæ ipſe fecerat, facturos miracula. Confirmavit autem hanc poteſtatem poſt reſurrectionem ſuam; unde iam hæſitare non poterant, cum in Chriſto maximum omnium miraculum impletum conſpicerent. Cum eos in univerſum mitteret orbem, prædicare Evangelium omni creaturæ, „Signa autem eos, aiebat *b)*, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur novis; ſerpentes tollent: et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, et bene habebunt.“ Ubi illud etiam obſervandum, dicere Chriſtum, ſigna hæc eos ſecutura, qui crediderint, non apoſtolos tantum, per quorum crediturì erant alii prædicationem, quibus iam adhuc vivus hanc poteſtatem dederat, quaſi deluſi fuiſſent,

a) Matth. XVII. 14. *b) Marc. XVI. 17.*

nec ipsi se continuis vitæ et mortis periculis exposuissent omnibus et ab omnibus destituti percurrentes orbem, nec eumdem delusum a se credulum habuissent orbem, ut christianus fieret. Miracula discipulorum Christi, miraculis olim a Christo patratis fidem adstruebant, ac ipsa miracula ſibi, dum illi, circa quos facta ſunt, testes ævum tulerunt, distinctis per hoc veris a fictitiis miraculis, ut de miraculis Christi Quadratus in fragmento apologiæ ad Hadrianum Imp. apud Eusebium loquitur, miracula ſalvatoris nostri perdurasse, cum vera essent ἀεὶ παρῆν, ἀληθῆ γὰρ ἦν.

EVANGELICA VITÆ DISCIPULORUM CHRISTI OECONOMIA.

XVII. Consideremus vero ſecuritatem illam, quam præstat Christus discipulis ſuis, quos dum mira patrandi his facultatibus, potestateque in dæmones instructos ad prædicandum mittit; undique elucescit divina Evangelii Christi etiam in ſuis apostolis œconomia. *Nolite*, ait ad eos *a*), *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus est enim operarius cibo ſuo.* Quæ pensatis temporum circumstantiis non minus miraculi habent, quam data illa tunc potestas patrandi miracula. Quid enim? *Ecce ego*, inquit *b*), *mitto vos, ſicut oves in medio luporum. Estote ergo pruden-*

a) *Matth. X. 9.* *b*) *Ib. 16.*

tes ſicut ſerpentes, et ſimplices ſicut columbæ. Cui vero bono ſerpentina hæc prudentia et columbina ſimplicitas? ut nempe caverent ſibi ab hominibus. *Tradent enim vos in conciliis, et in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: et ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis, et gentibus a).* Qui hæc aliaque, quæ apud Evangeliſtam ſequuntur, expertus cum primis fuerat D. Paulus apoſtolus, an non etiam famem et ſitim, nuditatem ac frigus etc. eſt expertus? Sed propterea haud minus ſecurus erat, quam cæteri apoſtoli, et diſcipuli Domini, ad quos dicebat Chriſtus *b*): *Quando miſi vos ſine ſaculo et pera, et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.* Quosve mira quadam et incomparabili rhetorica omni cura liberat: „Ne, ait *c*), ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini. Nonne anima plus eſt, quam eſca: et corpus plus, quam veſtimentum? Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?“ Eundem in modum de ſtatura hominis, de fœno agri inductione facta, tandem concludit argumentum *d*): „Quærite ergo primum regnum Dei et iuſtitiam eius: et hæc omnia adiicientur vobis. Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi. Sufficit diei malitia ſua.“

a) *Matth. X.* 17. *b*) *Luc. XXII.* 35. *c*) *Matth. VI.* 25. *d*) *Ib.* 33.

Hanc quidem, ut iam ex D. Paulo, memoravimus, experti ſunt, et alii diſcipuli diei malitiam, ut nihilominus eſſent beati, et de divina providentia ſecuri, ad quos Chriſtus in eodem ſermone in monte apud Lucam *a*) elevatis oculis (cum apud Matthæum ſingillatim loquatur: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum etc.*) dicebat *b*): „Beati pauperes: quia veſtrum eſt regnum Dei. Beati, qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini. Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines, et cum ſeparaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis.“ Quæ ſunt ipſa mala eisdem, cum ad prædicandum mitterentur, a proximis etiam neceſſariis perferenda prædicta *c*): *Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et inſurgent filii in parentes, et morte eos afficient: et eritis odio omnibus propter nomen meum etc.* ſuo autem exemplo eos animans, *Non eſt*, inquit, *diſcipulus ſuper magiſtrum: nec ſervus ſuper dominum ſuum. Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter eius; et ſervo, ſicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos eius etc.* Quæ vero eos fata ſuo etiam exemplo manerent, porro aperiens, *Nolite*, ait, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt et animam, et corpus perdere in gehennam. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt etc.* eadem comparatione, qua ſupra uſus volatilium cœli, ex quibus ingratius,

a) *Luc. VI.* 20. *b*) *Matth. V.* 1. *c*) *Ib. X.* 21.

exoſiusque genus ac contemtibilius fere ſunt passeres; *et unus*, inquit, *ex illis non cadet ſuper terram: veſtri autem capilli omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.* A minimis his iterum ad maiora, ſermone aſſurgens, quæ nobis in hac vita ſunt chariora, maximoque in pretio arctiſſimeque coniuncta: *Nolite*, inquit *a*), *arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, et filiam adverſus matrem ſuam, et nurum adverſus ſocrum ſuam. Et inimici hominis domeſtici eius.* Neque vero ſunt hæ hyperbolæ, nec tantum pro illis, quibus vixerant, perſecutionum primævæ Eccleſiæ temporibus valent, verum etiam deinceps atque hactenus in officiorum colliſione tenenda: in qua utique quibusvis Chriſti diſcipulis ea, quæ ad Deum pertinent, cæteris omnibus ſunt in Chriſto præferenda, et perferenda pro Chriſto, prout ſequitur *b*): *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. Et qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, et ſequitur me, non eſt me dignus.* Quis eſt noſtrum, fuitque etiam aliorum Chriſti diſcipulorum ac apoſtolorum, cui gravior crux impoſita fuerit, quam Chriſto ipſi, quisquis pro illo, ſicut ille pro nobis, vitam ſuam dederit; ille pro nobis inimicis, nos pro illo, cum illo reſurrecturi in vitam æternam *c*): *Qui invenit animam ſuam, perdet illam: et qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.*

a) *Matth. X.* 34. *b*) *Ib.* 37. *c*) *Ib.* 39.

Paradoxa ſunt hæc ſecundum carnem ſapientibus, et ſæculi huius prudentia turgidis. Quare Christus ad cœlestem ſuum Patrem elevans vocem, „Confiteor tibi Pater, exclamat, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a ſapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare." Quibus nimirum Deus ipse est merces illa magna nimis, quam veris filiis Abrahæ, qui non ſunt ſecundum carnem *a*), iuxta apostolum, promisit: qua pro mercede in vita æterna nihil potest esse durum, et grave in hac vita, quod gratia Evangelii Christi fit leve. Pergit enim: „Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, et discite a me, quia mitis ſum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum ſuave est, et onus meum leve." Non reticuit, ſed ſuis discipulis ſæpe prædixit Christus, quæ ipsum manerent in hac vita perferenda usque ad mortem, mortem autem crucis *b*): „Quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a ſenioribus, et ſcribis, et principibus ſacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere." Ut nimirum ſuo exemplo, ac ſpe resurrectionis eos ad imitandum animaret. Dumque *c*) „assumens eum Petrus cœpit increpare illum dicens: Absit a te Domine: non erit

a) *Rom. IX.* 7. *b*) *Matth. XVI.* 21. *c*) *Ib.* 22. *etc.*

tibi hoc. Qui conversus, dixit Petro: Vade post me Satana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum. Tunc Jesus dixit discipulis ſuis: si quis vult post me venire, abneget ſemetipsum, et tollat crucem ſuam, et ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Quid autem prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris ſui cum angelis ſuis, et tunc reddet unicuique ſecundum opera eius." Hæc Christus ſex diebus antequam *a)* „assumpsit Petrum, Jacobum et Joannem fratrem eius, et duxit illos in montem excelsum ſeorsum, et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius ſicut ſol: vestimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses, et Elias loquentes cum Jesu." Petrus quidem volebat *nesciens*, *quid diceret*, ibi tabernacula facere; quem vero maxime attinebant, quæ prius Christus monuerat de cruce post ſe tollenda, utpote qui eadem, qua ille, morte esset Deum clarificaturus.

a) Matth. XVII.

APOSTOLICA AD CONSTITUENDAM ECCLESIAM MISSIO.

XVIII. Prædixerat hoc Petro Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam *a*), cum eidem oves et agnos paſcendos commiſiſſet; antea autem, dum ipſum Filium Dei confeſſus eſt, beatum edixerat *b*): „Quia caro et ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum et in cœlis.

Quam hic cum aliis prærogativis dedit Petro ligandi et ſolvendi poteſtatem ſingulariter, eandem etiam cæteris apoſtolis dedit *c*), poſtquam paulo poſt Eccleſiæ ſuæ tribunal conſtituiſſet, profeſſus, quod qui Eccleſiam non audierit, ſit habendus ſicut ethnicus et publicanus, *Amen dico vobis*, immediate addit, *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata et in cælo: et quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta et in cælo.* Contulit illis Chriſtus eandem remittendi peccata poteſtatem pretium redemtionis noſtræ, quam cum, ut ſupra vidimus, ipſe exerceret, blaſphemaſſe Phariſæis viſus eſt; eam autem ſibi legitimam eſſe, miraculo demonſtravit, perinde ac apoſtoli, accepta quoque utraque

a) *Jo. XXI.* 15. *b*) *Matth. XVI.* 16. *c*) *Ib. XVIII.* 17.

potestate et miraculorum, et remittendorum peccatorum. Nempe ut eis post resurrectionem ſuam dixerat *a*): *Pax vobis. Sicut miſit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit: et dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta ſunt.* Jam præcurſor Domini Joannes Baptiſta prædicabat *baptiſmum pœnitentiæ*, et poſt eum Chriſtus *b*) *Evangelium regni Dei, dicens: Quoniam impletum eſt tempus, et appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, et credite Evangelio*, Evangelio, inquam, regni, adquod conditi excideramus per peccatum, reſtituti per Chriſtum in adoptionem filiorum Dei, filii regni, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, hominis illius nobilis in parabola, qui ad venerat e ſinu Patris *c*) *accipere ſibi regnum et reverti:* quo iam accinctum, cum poſt reſurrectionem videntes adoraſſent diſcipuli *d*), „accedens Jeſus locutus eſt eis dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus ſancti. Docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.“ Neceſſe eſt igitur, ut perennent uſque ad conſummationem ſæculi in Eccleſia, quæcunque a Chriſto apoſtolis datæ ſunt prærogativæ, atque poteſtas ad conſtituendam Eccle-

a) *Jo. XX.* 21. *b*) *Marc. I.* 14. *c*) *Luc. XIX.* 12.
d) *Matth. XXVIII.* 17.

ſiam militantem regnum Chriſti in terris, eamque tutam præſtandam contra viſibiles et inviſibiles hoſtes, dæmones, inquam, contra quos ſemper in Eccleſia exercita eſt poteſtas, nec unquam vena miraculorum exaruit iuxta promiſſionem Chriſti iam ex Marc. XVI. 17. notatam: „Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur novis: ſerpentes tollent: et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, et bene habebunt. Et Dominus quidem Jeſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, et ſedet a dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.“ O divinam Evangelii Chriſti in vicaria quoque apoſtolorum poteſtate œconomiam!

SERMO CHRISTI IN MONTE
LEX EVANGELICA.

XIX. Chriſtus in ſermone ſuo in monte Matth. V. VI. et VII. (velut Moyſes in monte Sinai legem a Deo accepit) ipſe nobis legem evangelicam promulgare voluit. Sed quam hic pleraque paradoxa ſunt hominibus (qui quidem omnes beati eſſe deſiderant) dum mox initio non ſolum beati dicuntur *pauperes, qui lugent, flent, qui eſuriunt et ſitiunt etc.* Verum etiam apud Lucam VI. 24. *Væ dicitur divitibus, qui ſaturati eſtis, qui ridetis nunc:*

cum benedixerint vobis homines. Quod vero ad diſcipulos Chriſtus in cœlum elevatis oculis *beati pauperes, qui nunc eſuritis, fletis etc.* dicit, ad hanc pertinet miſeram vitam, ut gauderent in illa die, et exultarent æternum beati in cœlis. Nec mitibus, niſi in hac ſpe terra poſſidenda in Eccleſia militante regno Chriſti in terris promittitur, ſicuti lugentibus conſolatio, eſurientibus ſaturatio, miſericordibus miſericordia, mundis corde Dei viſio, pacificis, *quoniam Filii Dei vocabuntur.* Nec eſt ulla octo harum beatitudinum, quæ non eo ſit referenda, ut per adoptionem filiorum Dei hæredes eius in vita æterna conſtituamur, in prima, cui convenit ultima quoad promiſſum cœlorum regnum: in ſecunda regnum Chriſti in terris: in tertia, vera et perfecta conſolatio: in quarta, omnimoda deſideriorum noſtrorum repletio: in quinta, miſericordia, quæ aufert omnia mala, et confert omnia bona: in ſexta, poſſeſſio Dei ſummi boni: in ſeptima, ſors filiorum Dei: in octava, poſſeſſio, ut diximus, regni cœlorum. Sunt vero octo hæ beatitudines ſumma totius doctrinæ chriſtianæ, recapitulanturque toto hoc ſermone in monte.

Eſt hæc divina Evangelii Chriſti œconomia, cuius præcones apoſtoli futuri erant *a)*, quos vocat ſal terræ, mundi nimirum huius immundi putridi et inſipidi; ut tamen ſibi ipſis caveant, ne evaneſcat, ſeu infatuetur ſal. Perinde etiam lucem

a) Matth. V. 13.

mundi vocat, et, *ſic luceat*, ait, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*, non opera legis, quam abolilurus esset. Sed quid? *Nolite putare, quia veni ſolvere legem, ſed adimplere;* nempe quod ea, quæ in veteri testamento tantum in figura contingebant ac typo, in Christo erant adimplenda; ea vero quæ legem moralem attinebant, ad maiorem perfectionem deducenda, et quæ corrupta atque detorta, restauranda; unde ait *a*): *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Tunc mox incipit collatione præceptorum veteris legis divinum illud: *Ego autem dico vobis*, insonare, datque Christus leges proprio ſuo nomine, ac divina Verbi incarnati auctoritate, quod Moyses et prophetæ faciebant nomine ac præcepto Dei dicendo: *Hæc dicit Dominus.* Igitur, *audistis*, infit *b*), *quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri ſuo, reus erit iudicio etc.* Quid vero gravius ad inculcandum hoc veniæ mutuæ præceptum dici potuit, quam dum præcepit relinquere (quod præcipuum est nostrum erga Deum officium) munus ante altare, et prius reconciliari fratri: consentientemque esse adversario *cito*, uti ait, *dum adhuc in via es*, quandoquidem in oratione dominica benignissimum Numen hanc nobis debitorum compensationem clementissime indulsit, dum orare nos docet *c*): „Dimitte nobis debita nostra, ſicut et nos

a) *Matth. V.* 20. *b*) *Ib.* 21. *c*) *Ib. VI.* 12. *etc.*

dimittimus debitoribus noſtris etc. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet et vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra." Hoc eſt, quod cavet, dum dixerat *a*): *ne forte tradat te adverſarius iudici, et iudex tradat te miniſtro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem;* in altera nimirum vita diſtricto iudici tradèmur ad ſupplicium, reddendumque omne debitum ceſſante illa compenſatione, quæ locum nunc habet, dum in via ſumus. Id ipſum nos edocet parabola de ſervo debitore *b*), qui cum ei dominus ſuus dimiſiſſet debitum decem millium talentorum, ipſe autem conſervo ſuo nequidem longe minoris debiti remiſſionem, aut ſaltem ſolvendi dilationem concedere vellet, traditus eſt ab irato domino ſuo tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Ubi addit Chriſtus *c*): *Sic et Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unusquisque fratri ſuo de cordibus veſtris.*

Pergit vero ſupra Chriſtus *d*): *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Κίναιδοι illos ex chriſtianis, qui poſt tam apertam Chriſti evangelicam legem audent adhuc ad decalogum provocare ad excuſanda alia præter mœchiam

a) *Matth. V.* 25. *etc.* *b*) *Ib. XVIII.* 23. *c*) *Ib.* 35. *d*) *Ib. V.* 27.

impudicitiæ peccata, confundit ex veteri teſtamento, novum tam planum et apertum conformiter ad Job XXXI. 1.: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, et hæreditatem omnipotens de excelſis? Si autem*, ſunt porro verba Chriſti, *oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, et proiice abs te etc.* Nihil fortius ad abſterrendum dici poteſt, quam eruere potius oculum, abſcindere manum et pedem. Haud abſimilis dictio comparativa ex rebus obviis, quæ nos ipſos contingunt, habetur paulo poſt. Cum enim, quod iuramentum attinet, perfectionem novæ præ veteri lege in eo conſtituiſſet Chriſtus, quod iſta prohibeat peierare, illa vero iubeat non *iurare omnino*, addita ſimplicitate ſua perinde ac ingenuitate admirabili aſſertionum noſtrarum regula: *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt*, quatenus nempe veritatis limites excedit.

Pergit Chriſtus *a*): „Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. Et ei, qui vult tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et quicunque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo et alia duo.“ Quanta, quæſo, energia hic evangelica lex malum malo non red-

a) *Matth. V.* 38.

dere inculcat, dum potius iubemur, percutienti maxillam dexteram præbere alteram etc. quam vicem rependere, aut ulciſci. Nec vero hyperbolicum eſt, non contendere laceſſitum, angariatum unum milliare vadere duo, percutienti maxillam præbere, cum exempla aut occaſio adeſſe poſſint, ad literam ſic ſe patienter gerendi cum Chriſto: qui dum Malcho alteram maxillam non præbuit, in eo tamen tunc erat, ut dorſum flagellantibus, caput coronam ſpineam nectentibus, manus et pedes crucifigentibus præberet, atque hæc omnia ab inimicis pro nobis inimicis pateretur, et moreretur in cruce.

Et ſic quidem inſtituimur, quid nos exterius facere ac ſuſtinere oporteat, id vero quod ſequitur, animum ſimul intime afficit *a*)? „Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, et benefacite his, qui oderunt vos: et orate pro perſequentibus, et calumniantibus vos: ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos et malos, et pluit ſuper iuſtos et iniuſtos.“ Quid magis repugnare, ac vim veluti ipſi naturæ inferre videtur, quam hæc tanta inimicorum dilectio? Quid vero ad dilectionem hanc a nobis obtinendam, non extorquendam dico, ſed amice ac ſuaviter conciliandam, corque tenerrimo emolliendum affectu accommodatius eſſe potuit, quam

a) *Matth. V.* 43.

filii amica, qua nos dignatur, compellatio Patris ſui cœlestis: *Ut ſitis filii Patris vestri, qui in cœlis est*, quem nostrum tam ſæpe alias in hoc ſermone dicit Patrem? Quid huius cœlestis Patris compellatione ad commovenda viscera convenientius esse potuit? postquam præsertim ipse æterni Patris Filius exemplum nobis huius dilectionis dedisset in cruce pro inimicis orans, et cum adhuc essemus inimici, pro nobis moriens.*

Ipsam orationis filiali animo auspicandæ formulam ſic orditur *a*): *Pater noster.* Quæ dominica oratio tam ſimplici ſermone paucisque verbis non ſolum omnia petitiònum genera complectitur, verum etiam nihil non a Patre nostro, qui est in cœlis, pètendum obtinendumque esse declarat, ſive ad ipsius gloriam, ultimum omnium rerum finem in ipsius nomine ſanctificando, eiusque voluntate facienda, ſive ad nostra commoda et profectum huius et æternæ vitæ attineat. Plenam etiam postea nobis petendi, quærendique ac pulſandi fiduciam ingerit exemplo parentis naturalis, eiusmodi inductionibus *b*), quæ non possunt non commovere ac convincere mentem *c*): „Aut quis est ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut ſi piscem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei? Si ergo vos, pergit, cum ſitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?“

a) *Matth. VI.* 9. *b*) *Ib. VII.* 7. *c*) *Ib.* 9.

Cum primum de oratione in hoc ſermone loqui incipit, ad Patrem cœleſtem mentem noſtram elevat obtinendæ ab eo mercedis ſpe, a vanitate illam avertens hisce verbis *a*): „Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis et in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito: et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi." Sic de ieiunio mox agens: „Tu autem, inquit *b*), cum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito: et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi." Præ quibusvis locis, ſeu figuris rhetoricis eloquentiæ vim, ſeſe inſinuandi animo, attentionemque non ſolum movendi, ſed etiam alte menti infixam retinendi, habent deſumtæ ex rebus obviis ſimilitudines Chriſto admodum familiares: veluti illa omnem eloquentiæ humanæ ſubtilitatem ſuperat, ubi argumentum hoc de non captanda vana apud homines gloria et exiſtimatione orditur, dum dicit ad eleemoſynam facientem: *Noli tuba canere ante te. Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Dextera in ſcripturis in bonam partem, hic de bono opere, ſiniſtra in malam partem accipitur, de ſiniſtro fine in captanda aura vanæ gloriæ. Porro ſic loquitur Chriſtus *c*): „Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis

a) *Matth. VI.* 5. *b*) *Ib.* 17. *c*) *Ib.* 1.

coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito, et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi." Id genus eſt, quod poſtea dicit *a*): „Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur." Quæ vero ſententia antitheſi appoſita miram emphaſim accipit *b*): „Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim theſaurus tuus, ibi eſt et cor tuum." Quibus admirabili nexu, quæ ſequuntur cohærent, de lucerna actionum noſtrarum *c*): „Lucerna corporis tui eſt oculus tuus; ſi oculus tuus fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit etc." Item *d*): „Nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, et alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire et mammonæ. Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis etc."

a) *Matth. VI.* 19. *b*) *Ib.* 20. *c*) *Ib.* 22. *d*) *Ib.* 24.

Id vero, quod poſtea habet de anguſta, quæ ducit ad vitam, porta, vim maximam ex illo accipit, quod alibi de divitibus dicit, quam difficile, imo apud homines impoſſibile ſit, ut ſalventur *a*): *Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* De camelo item, Scribas et Phariſæos inceſſens, comparationem ſumit, poſtquam eorum in iurando vanam obſervantiam notaſſet, de qua Chriſtus quoque in ſermone in monte cavet *b*): „Væ vobis Scribæ et Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquiſtis, quæ graviora ſunt legis, iudicium, et miſericordiam, et fidem: hæc oportuit facere, et illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.“ Non ſemel Scribæ et Phariſæi duces cæci a Chriſto vocantur, apud Lucam vero ſingulariter, dum paucioribus ſermonem in monte perſequitur, in hoc Matthæo copioſior, quod beatitudinibus ſeu benedictionibus mox maledictiones, quibus deterreamur, adiungat oppoſitas *c*): „Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram. Væ vobis, qui ſaturati eſtis: quia eſurietis: Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, et flebitis. Væ cum benedixerint vobis homines: ſecundum hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum.“ Nos autem, edocti a Chriſto, non ſic; beatos nos inter mala et miſerias huius vitæ (unice vero ſolatio, quo carent, qui proſperis præſentis vitæ felices ſe putant)

a) *Matth. XIX.* 24. *b*) *Ib. XXIII.* 23. *c*) *Luc. VI.* 24. *etc.*

eſſe ſcientes; gaudere et exultare iubemur etiam, dum oderint nos homines, et perſecuti fuerint, quos ipſos a ſuis diligi præcipit Chriſtus: *Vobis*, inquit *a*), *dico qui auditis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos*, et quæ ſunt alia charitatis officia, quæ preſſius ibidem perſequitur S. Lucas: tum poſt hæc „Dicebat autem, pergit *b*), illis et ſimilitudinem: Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?" Eandem hanc adæquatam prorſus humanæ temeritati inductionem (qua cynoſura de noſtris et aliorum defectibus arbitrium ferimus, atque plerumque noſtra ultra etiam tenuitatem feſtucæ minuimus, aliena ſupra trabem amplificamus) Matthæus ex ore Chriſti referens, ut a iudicio aliorum temerario omnino nobis temperemus: „Nolite, inquit *c*), iudicare, ut non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini, et in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui; et trabem in oculo tuo non vides?"

Quidquid vero deſiderat Chriſtus officiorum mutuæ inter nos homines charitatis, quæſo, quam ſublimi compendio, ac nativa ſimplicitate totum illud in apophthegmate iſto ſermonis in monte

a) *Luc. VI.* 27. *b*) *Ib.* 39. *c*) *Matth. VII.* 1.

comprehenditur apud Lucam *a)* perinde ac apud Matthæum *b)*: *Omnia ergo, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex et prophetæ.* Demum eadem ſermonis gratia, vi, ac vivis coloribus nobis cavet, atque attendere nos vult a falsis prophetis, *qui*, ut ait *c)*, *veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinsecus autem ſunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit.* Hæc nobis in memoriam revocant malum illum in paradiso arboris fructum, unde in nos a protoparentibus naturæ malignitas derivatur. Alibi eandem comparationem proverbio concludit *d)*: *Aut facite arborem bonam, et fructum eius bonum: Aut facite arborem malam, et fructum eius malum. Siquidem ex fructu arbor cognoscitur*, blasphemos illos incessens, qui eum in principe dæmoniorum eiicere dæmonia dicebant *e)*: *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro ſuo profert bona; et malus homo de malo thesauro profert mala.*

Quod demum in fine ſermonis in monte apud Matthæum additur *f)*: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipse intrabit in regnum cælorum.* Id edisserens S. Lucas

a) Luc. VI. 31. *b) Matth. VII.* 12. *c) Ib.* 15. *etc.*
d) Ib. XII. 33. *e) Ib.* 34. *f) Ib. VII.* 21.

concluſioni totius ſermonis perinde ac ſimilitudini de fructibus bonæ vel malæ arboris. innectit *a)* : „Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum; et malus homo de malo theſauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis, quæ dico? Omnis, qui venit ad me, et audit ſermones meos, et facit eos: oſtendam, cui ſimilis ſit etc.“ Sicque mirifice dictis concordat, reſpondetque omnino concluſio ſermonis ſimilitudine de viro ſapiente, vel ſtulto ædificante ſuper petram vel arenam, qua nihil congruentius eſſe poſſit *b)*: „Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, et facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, et deſcendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat ſuper petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, et non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam: et deſcendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.“ Ubi, quod iam alio exemplo notavi, mira energia ſeſe ſynonima repetitio oppoſitorum ſimilitudinis membrorum attento animo inſinuat, ut tenaciter inhæreat.

Subdit Evangeliſta *c)*: *Et factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos ſicut poteſtatem*

a) Luc. VI. 45. *etc.* *b) Matth. VII.* 24. *etc.* *c) Ib.* 28.

habens, *et non ſicut Scribæ eorum et Phariſæi.* Quod iam notanter obſervavimus in toties repetitis verbis illis: *Ego autem dico vobis*, dum ea perſequitur, quæ ad legem ſuam novam ſuper veterem efferendam pertinent, ac eandem longo poſt ſe intervallo relinquendam, divinis additis ſuo nomine promiſſis de regno cœlorum poſſidendo, atque in eo copioſa mercede accipienda a beatis illis, qui Deum videbunt, Filiique Dei vocabuntur, cœleſtis nimirum Patris, quem in hoc ſermone ſemper, ut iam animadvertimus, noſtrum vocat (*Pater veſter cœleſtis*, *qui in cœlis eſt*) ſicque ab eodem *præceptis ſalutaribus moniti*, *et divina inſtitutione formati audemus dicere* in oratione Dominica *Pater noſter qui es in cœlis* cum Eccleſia in ſacratiori liturgiæ parte, qua Chriſtus Patri cœleſti incruento offertur ſacrificio in lytrum redemtionis noſtræ, adoptioniſque in filios Dei, fratres unigeniti Filii Dei: dum cum ipſo, qui aſſumta humana natura factus eſt frater noſter, communem accepimus, qui eſt in cœlis Patrem noſtrum eundem, quem et Deum noſtrum: quem enim vero poſt reſurrectionem ſuam, per Mariam Magdalenam ad diſcipulos ſuos Chriſtus miſit lætiſſimum nuntium, omnem ſenſum noſtrum et humanam ſpem ſuperantem exſpectationemque vilis creaturæ a creatore ſuo: *Vade autem*, inquit *a*), *ad fratres meos*, *et dic eis: Aſcendo ad Patrem meum*, *et Patrem veſtrum: Deum meum*, *et Deum veſtrum.* Quo haud ſcio, an

a) *Joan.* XX. 17.

ullus insignior ac ſublimior in divina Evangelii Christi Verbi incarnati œconomia ſit locus, a nobis uberius per decursum operis considerandus, iugiterque animo revolvendus.

APOPHTHEGMATA SINGULARIA AC PLACITA EVANGELII CHRISTI NON INITIATIS PARADOXA.

XX. Jam ſupra ex Marci cap. I. notavimus, cum primum prædicandi munus ſuscepisset Jesus docens in ſynagogis, ſtupuisse auditores ſuper doctrina eius: *erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non ſicut ſcribæ.* Quæ etiam apud Lucam *a)* eadem occasione leguntur, postquam retulisset, quid contigerit, dum iam antea venisset Nazareth, intrassetque ſecundum consuetudinem ſuam in Synagogam, ſurrexissetque legere tradito ei libro Isaiæ. „Et ut revolvit librum,' invenit locum, ubi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum et diem retributionis (quibus tota redemtionis nostræ, Evangelii Christi, œconomia continetur). Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et ſedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie

a) Luc. IV. 32.

impleta est hæc ſcriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant: et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant: Nonne hic est filius Joseph?" At mox, cum in eos inveheretur, atque illis diceret, non esse acceptum prophetam in patria ſua, conversa est admiratio in iram, ita ut eiicerent illum extra civitatem, ducerentque usque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum extructa erat, ut præcipitarent eum.

Erat porro Nazareth, quæ Christi credebatur patria, lapis offensionis, et petra ſcandali; humiles natales ac pauper conditio, prout ſcribæ illi, qui eum accedens ſequi velle videbatur, dixit: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Alia omnia exspectabant Judæi a Messia ſuo domitore gentium, et dominatore orbis: quem non ſolum rem restituturum in Israel, verum etiam cumulaturum præstolabantur gentem omnium rerum affluentia, gloria, et divitiis, quarum ille contemtum, et abdicationem in ſuis discipulis postulabat. Unde cum adolescentem ad vendendum omnia, quæ haberet, dandumque pauperibus hortaretur, abiit is tristis: *erat enim habens multas possessiones.*

Quam vero admirabilem in modum ob oculos posuit, ordinem officiorum erga Patrem in cœlis, et parentes in terra paucis verbis alteri illi, qui

fuit de diſcipulis ſuis, dicenti a): *Domine permitte me primum ire, et ſepelire patrem meum. Jesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Id quod carnaliter ſapientibus durius videtur, ut illud indulgentius, quod respondit discipulis Joannis b), „qui acceſſerunt ad eum dicentes: Quare nos, et Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Jesus: Nunquid poſſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, et tunc ieiunabunt. Nemo autem immittit comiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius a veſtimento, et peior ſciſſura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conſervantur.“ Nihil apposite magis ad diſcipulos S. Joannis præcurſoris Domini dici potuit, inducique, quam ſimilitudo illa et comparatio, quam ipſe S. Joannes adhibuit, cum ſe non eſſe Chriſtum profiteretur, ſed miſſum ante illum c): *Qui habet ſponſam*, inquit, *ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt. Illum oportet creſcere, me autem minui.* Quod vero dicit, Chriſtum debere creſcere, ſe autem minui, pertinet ad comparationem illam, quam Chriſtus facit de panno et vino veteri et novo: cum S. Joannes Baptiſta veluti

a) *Matth. VIII. 21.* b) *Ib. IX. 14.* c) *Jo. III. 29.*

limes eſſet veteris teſtamenti, quod diminui oportebat, dum novum in Chriſto creſcebat: eratque incrementum Eccleſiæ Chriſti, Synagogæ diminutio. Videatur equidem grave ac deſpicabile, diſcipulos ſuos vocari pannum rude ac vinum novum a pio magiſtro; a quo vero edocti erant diſcere ſuo exemplo mites eſſe et humiles corde.

Invaſit eos non ſemel ambitio, contendebantque inter ſe, *quis eorum videretur eſſe maior*, affectabantque filii Zebedæi primum in regno ſuo locum. Videturque æmulatione quadam Petri factum, ut poſt ſolutum pro ſe et Petro didrachma, *in illa hora a)* accederent diſcipuli ad Jeſum dicentes: *Quis putas maior eſt in regno cœlorum?* At vide quam incomparabili inductione pueruli eos ad officium ſenſumque humilitatis revocet? Nempe „advocans Jeſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, et efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt maior in regno cœlorum. Et qui ſuſceperit unum parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris.“ Eſt hæc de mola aſinaria graviſſima ad abſterrendum elocutio, locus, ut ita dicam, rhetoricus Chriſto proprius,

a) *Matth. XVIII. 1. etc.*

non ſophiſtarum conquiſita eloquentia ad fucum faciendum aut oſtentationem, ſed opportuna rerum inductione ad commovendum edocendumque de rei veritate animum: qualis etiam illa, quæ mox ſequitur: *ſi autem manus tua, et pes tuus ſcandalizat te; abſcinde eum, et proiice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum:* addita porro a nobis paulo ante notata in more Chriſto poſita in rebus gravioribus repetitionis formula: *Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, et proiice abs te: bonum tibi eſt, cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Haud abludit, quod Chriſtus reſpondit ſuis diſcipulis, dum Phariſæis dixerat, Moyſen ad duritiam cordis permiſiſſe uxorum repudia, diſcipuli autem dicerent: „Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt: et ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: et ſunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum Dei, qui poteſt capere capiat."

Tum illud, quo ſuos ad certam a Patre cœleſti quidvis, quod bonum, ac profuturum ſit, obtinendi ſpem ac fiduciam inducit *a*): *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* Ut iam ex Matthæo in ſermone Chriſti in monte notavimus. Idem vero hoc refert Lucas, cum

a) *Luc. XI.* 11.

Christus quodam loco ceſſaſſet ab oratione, quidam autem ex diſcipulis diceret ei: *Domine doce nos orare, ſicut docuit et Joannes diſcipulos ſuos.* Quod cum feciſſet Christus, addit ſimilitudinem de amico quodam importune alterum pro panibus (cum non haberet, quod poneret ante amicum venientem ad se) interpellante, atque tandem obtinente non eo, quod amicus eius ſit, *propter importunitatem tamen eius*, ut diſcipulos ad perſeverandum in oratione hortaretur *a*): *Quoniam oportet ſemper orare, et nunquam deficere*, ut apud eundem Evangeliſtam alibi dicit Christus admirabili comparatione a minore ad maius in iudice, *qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur;* fatigatum tamen eum moleſtia viduæ, ſic Chriſtus intra se loquentem inducit: „Etſi Deum non timeo, nec hominem revereor; tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in noviſſimo veniens ſugillet me. Ait autem Dominus: Audite, quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?“

Quid vero hoc ſibi poſtremum, velut abrupto ſermone, de Filio hominis venturo iudice in conſummatione ſæculi? Ut nimirum declararet, nunquam ad ultimum usque tempus defuturos hoſtes, et perſecutores electorum ſuorum, et tunc maxime,

a) *Luc. XVIII.* 1.

quando pauciſſimi erunt fideles, et graviſſima perſecutio, ac tribulatio, qualis nunquam fuit; Deum tamen nunquam defuturum, quin faciat vindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte in preſſuris ab hoc mundo, etſi tardus in ulciſcendis eorum iniuriis eſſe videatur. Eſt hoc argumentum *Apocalypſis Jeſu Christi, quam dedit illi Deus palam facere ſervis ſuis etc.* ut incipit liber ille a S. Joanne in complementum veluti Evangelii regni ſcriptus: qui ſi recte accipiatur, utiliſſimus eſt lectu ad conſolationem fidelium in ſuis et Eccleſiæ, quæ nunquam deerunt, tribulationibus, ac terrorem perſequentium inimicorum: dum identidem tubæ inſonant ad denuntianda Eccleſiæ electorum mala a malis perferenda usque ad finem mundi per ſeptem tempora, quin neceſſe ſit ea curioſius indagare aut per certas epochas determinare, qui ſeptenarius in Apocalypſi generalis eſt numerus in totidem plagis, quæ per ſeptem tubas denuntiantur, Eccleſiæ electorum, quibus totidem etiam reſpondent phialæ iræ Dei in electorum ſuorum hoſtes effundendæ. Quæ, ne ſcandalizentur malis his fideles electi, perinde ac malorum vindicta, prædicta ſunt *a*): *Impoſſibile eſt, ut non veniant ſcandala: Væ autem illi, per quem veniunt. Utilius eſt illi, ſi lapis molaris imponatur circa collum eius, et proiiciatur in mare, quam ut ſcandalizet unum de puſillis iſtis;* additur apud Matthæum mox *Væ mundo a ſcandalis*, quod væ toties in Apocalypſi repetitur contra civi-

a) *Luc.* XVII. 1.

tatem illam huius mundi adverſariam civitati electorum ſuorum ad eorum vindictam faciendam, *clamantium ad ſe die ac nocte.* Dum viciſſim fideles ſibi de malis a perſecutoribus illatis coronas nectunt perinde ac de bonis a ſe factis. Qua de re mirifica eſt inductio de villico iniquitatis, cuius exemplo monet nos Chriſtus *a*): *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Dicit hoc poſtquam induxiſſet villicum iniquitatis, qui cum amovendus eſſet a villicatione, convocatis debitoribus Domini ſui ſingulis, accepta priore cautione maiorem partem debiti remiſit, ut amotum ſe reciperent in domos ſuas. *Laudavit*, ſubdit, *dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: Quia filii huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.* Dum nempe illis, quibuscum bona ſua propria communia fecit cœleſtis Pater, ut poſſint ſibi facere de illis amicos pro vita æterna, non ſunt eius rei tam ſtudioſi, quam filii huius ſæculi ad ſua commoda ex bonis alienis Dominorum ſuorum.

Simul hic incomparabilis differentia ob oculos ponitur Domini rerum omnium in cœlis, et eorum qui bona poſſident ſibi propria in terris. Talis erat homo ille, quem tam nativis coloribus deſcribit Chriſtus, dum nobis ab omni avaritia cavet: *Quia*, ait *b*), *non in abundantia cuiusquam vita eius eſt, ex his quæ poſſidet.* Cuius rei experientiam docet ſimilitudine illa de homine divite illo,

a) *Luc. XVI.* 9. *b*) *Ib. XII.* 15.

cuius „uberes fructus ager attulit: et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit, hoc faciam: destruam horrea mea, et maiora faciam: et illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, et bona mea. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem paraſti cuius erunt? Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, et non eſt in Deum dives.“

Jam ſupra ex Matthæi VI. attigimus, quæ hic mox ſubdit Lucas *a)* Chriſti dicta ad diſcipulos ſuos, ne ſolliciti ſint, quid manducarent, aut induerent, corvos hic inducens, „quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, et Deus paſcit illos. Quanto magis vos pluris eſtis illis? Quis autem veſtrum cogitando poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Si ergo, neque quod minimum eſt, poteſtis, quid de cæteris ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia, quomodo creſcunt: non laborant neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur, ſicut unum ex iſtis. Si autem fœnum, quod hodie in agro eſt, et cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quanto magis vos puſillæ fidei? . . . Et vos nolite in ſublime tolli: Hæc enim omnia gentes mundi quærunt; Pater autem veſter ſcit, quoniam his indi-

a) Luc. XII. 22.

getis. Verumtamen quærite primum regnum Dei et iustitiam eius, et hæc omnia adiicientur vobis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro, dare vobis regnum. Vendite, quæ possidetis et date eleemosynam. Facite vobis ſacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit," ut iam ſupra ex Mathæo retulimus, essetque Evangelium exscribendum, si omnia ad rem afferre gestiremus, quæ nobis non ad admirationem animo ſolum ingerendam ſic ſunt vivis coloribus ac imaginibus, rerumque vel maxime appositarum ſimilitudinibus proposita, ſed ad persuasionem dictorum et ad opus resque propositas nos inducendos: prout mulieri illi, quæ Christi dicta admirans et extollens vocem de turba in hæc verba prorupit *a*): *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ ſuxisti. At ille dixit: Quin imo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Non erat non beata prædicanda mater Christi, quæ de se ipsa humilis virgo in cantico dixerat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes;* ſed fuerat hæc divina Evangelii Christi Verbi incarnati œconomia, ut divinus potius ortus ex Patre quam humanus ex matre panderetur, quem illum divinum ipsa vox Patris cœlestis de cœlo delapsa, dum baptizatus a Joanne Christus, Evangelii ſui prædicationem auspicaturus erat, denunciavit nobis *b*): *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de*

a) *Luc. XI.* 27. *b*) *Matth. III.* 16.

aqua: et ecce aperti ſunt cœli: et vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, et venientem ſuper se. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quæ eadem iterum vox post transfigurationem Christi in monte audita est, his adiectis verbis: *Ipsum audite*, prout apud tres Evangelistas Matthæum, Marcum et Lucam leguntur. Dum vero S. Joannes Evangelista, totam illam transfigurationis, cui ipse cum Petro et Jacobo aderat, narrationem ſilentio præterit: eius facturus mentionem in ſua Epistola ſecunda D. Petrus nobis promittit (quod in ſuis ſucceſſoribus perenne erit, ut in eorum communione *beati* ſint, *qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*) daturum se operam, ut post obitum ſuum horum memoriam faciamus: „Non enim, addit *a*), doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam voce delapſa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum eſſemus cum ipso in monte ſancto.“ S. Joannes cum Petro præſens ſingulariter nobis ſermonem illum conſervavit, qui rem ipsam luculenter ediſſerit ſub parabola pastoris Filii Dei dilecti, cuius vocem oves eius audiunt: „Huic, ait *b*), ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et

a) *II. Petr. I.* 15. *b*) *Jo. X.* 3.

educit eas. Et cum proprias oves emiſerit ante eas vadit: et oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum." Et postea *a*): „Ego ſum Pastor bonus: et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: Et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor." De vocatione gentium hic loquitur, qua nos forte ex illorum numero ſumus. *beati, qui audiunt verbum Dei* Christi oves, reiectis interim ex ovili ſuo incredulis Judæis, de quibus infra *b*): *ſed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et ſequuntur me.* An forte a cœlesti Patre, dum in baptismo Filium ſuum dilectum denunciavit, verba illa: *ipsum audite* prætermiſſa ſunt, eoquod necdum discipulos, quos in dispersionem gentium ad prædicandum Evangelium, reiecta gente Judaica, miſſurus eſſet, ſibi Christus aggregaſſet? Rememoranda hic est paulo ante notata concluſio ſermonis Domini in monte ex Matthæo *c*), quæ vero apud Lucam *d*) ſic habet: *Omnis, qui venit ad me, et audit ſermones meos, et facit eos: Oſtendam vobis cui ſimilis ſit: ſimilis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum etc. Qui autem audit, et non facit, ſimilis est homini ædificanti domum ſuam ſuper terram ſine fundamento etc.*

a) *Jo. X.* 14. *b*) *Ib.* 26. *c*) *Matth. VII.* 24. *d*) *Luc. VI.* 47. *etc.*

EVANGELII ŒCONOMIA PARABOLIS EXPLICATA.

XXI. Facit huc parabola de ſeminante, quæ apud Matthæum XIII., Marcum IV., et Lucam VIII. prima occurrit, postquam Christus iam ſermone in monte discipulis ſuis, quod notanter apud Matthæum et Lucam memoratur, legem Evangelii explicasset, præsentibus, et doctrinam admirantibus Judæis, qui tamen Evangelium non receperunt: id quod in ipsa hac parabola de ſeminante declaratur: aliud cecidisse ſecus viam, aliud in petrosa, aliud in ſpinas. Jam notavimus Christum ſermonem illum in monte feciſſe *elevatis oculis in discipulos ſuos*. Eodem pertinet, quod apud Lucam VI. 27. postquam et beatos prædicasset, et væ denuntiasset præcipua evangelicæ legis præcepta exsplicare his verbis auspicetur. *Sed vobis dico, qui auditis; diligite inimicos vestros etc.* Equidem aliquando etiam advocans turbam dicebat illis *a*): *Audite me omnes, et intelligite. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod poſſit eum coinquinare, ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt, quæ communicant hominem.* At mox addit: *Qui habet aures audiendi audiat.* Memorat vero Matthæus XV. 11. postquam eandem ſententiam Christi attuliſſet, Pharisæos ſcandalizatos esse verbo hoc: quia nimirum aures audiendi non habebant. Sic etiam iisdem verbis Christus memoratam parabolam concludit *b*): „Qui habet aures audiendi audiat. Et

a) *Marc. VII.* 14. *etc.* *b*) *Matth. XIII.* 9.

accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens ait illis: quia vobis datum est noſse mysteria regni cœlorum: illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit: qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, et non intelligetis: et videntes videbitis, et non videbitis. Incraſsatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos ſuos clauserunt: ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et ſanem eos. Vestri autem beati oculi, quia vident, et aures vestræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ et iusti cupierunt videre, quæ videtis, et non viderunt; et audire, quæ auditis, et non audierunt. Vos ergo audite parabolam ſeminantis. Omnis, qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit, quod ſeminatum est in corde eius: hic est, qui ſecus viam ſeminatus est. Qui autem ſuper petrosa ſeminatus est, hic est, qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud; non habet autem in se radicem, ſed est temporalis: facta autem tribulatione, et persecutione propter verbum, continuo ſcandalizatur. Qui autem ſeminatus est in ſpinis, hic est, qui verbum audit, et ſollicitudo ſæculi istius, et fallacia divitiarum ſuffocat verbum, et ſine fructu efficitur. Qui

vero in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt, qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud vero trigeſimum." In alia parabola, quæ apud Matthæum nonnihil immutata mox ſubditur, Marcus IV. 23. præmittit hæc ipſa, quæ difficultatem in divina Evangelii Chriſti œconomia movent, verba: „Si quis habet aures audiendi audiat. Et dicebat illis: Videte, quid audiatis. In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, et adiicietur vobis. Qui enim habet, dabitur illi: et qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo. Et dicebat: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, et dormiat, et exurgat nocte ac die et ſemen germinet, et increſcat, dum neſcit ille etc." Qua in re diſcutienda utinam ſemper theologi parabolas de ſeminante, et ſemente prout a Chriſto explicantur, cum epiſtola S. Pauli ad Romanos præ oculis habuiſſent, et eius ſe doctrina continuiſſent. Nihil hic Evangeliſta de zizaniis ſuperſeminatis, de quibus Matthæus in parabola immediate parabolæ memoratæ de ſeminante ſubiuncta: *Aliam*, inquit, *parabolam propoſuit illis dicens: Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo, cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et ſuperſeminavit zizania in medio tritici.* Apud Marcum non niſi de tritico eſt ſermo, quod ultro fructificet in terra, homine iaciente ſementem dormiente, et *exſurgente nocte et die*, quæ verba in prophetis de

Deo ipſo dicta leguntur, qui dum permittit in agro huius mundi mala, veluti dormit; at vero cum dormirent homines, quorum vigilantiæ commiſſus eſt ager, venit inimicus, et ſuperſeminavit zizania in medio tritici, quod eſt bonum ſemen: *hi ſunt*, ut apoſtolis parabolam explicat Chriſtus *a*), *filii regni; zizania autem, filii ſunt nequam: inimicus autem, qui ſeminavit ea, eſt diabolus: meſſis vero, conſummatio ſæculi eſt.* Quibus paucis tam perſpicuis verbis totam generis humani poſt lapſum ab interitu vindicati hiſtoriam per ſacram ſcripturam veteris et novi teſtamenti diffuſam complexus eſt Chriſtus, decurrentem usque ad conſummationem ſæculi, quando *b*) *mittet Filius hominis angelos ſuos, et colligent de regno eius omnia ſcandala, et eos, qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat*, explicatam nimirum tam conſpicue ac veluti uno obtutu oculis obverſantem totam Evangelii Verbi incarnati œconomiam regni Chriſti hic et in æternum cum ſorte filiorum regni, et filiorum nequam, in parabola de ſagena miſſa in mare perſpicue reddita *c*), ad quam vero ſortem beatam illuſtrandam faciunt proximæ apud Matthæum et Marcum parabolæ, quibus regnum cœlorum ſimile eſſe dicitur theſauro abſcondito in agro, et inventæ uni margaritæ. Quas modo memoratas attinentes ad regnum Chriſti in terris parabolas ſuo loco ſingulariter explicabimus.

a) *Matth. XIII.* 38. *b*) *Ib.* 41. *c*) *Ib.* 47.

Quam quæſo ſublimiter initia, et incrementa regni cœlorum in terris a minimo progreſſi in regnum immenſum, et æternum in cœlis, quæ est divina Evangelii Christi œconomia, a Christo explicantur in parabolis de grano ſynapis *a*), et de fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum est totum, ad declarandam reconditam illam Evangelii *virtutem Dei b*), iuxta apoſtolum, *in ſalutem omni credenti*, de qua initio diximus, in grano ſinapis quoque conſpicuam: *quod minimum est omnibus ſeminibus, cum autem creverit, maius est omnibus oleribus, et fit arbor; ita ut volucres cæli veniant, et habitent in ramis eius.* Adhibeturque perinde a Christo in comparationem apud Matthæum c), quando apostolorum incredulitatem arguens, eorum fidei ſtimulum addit: et apud Lucam, dum ipſi eum diſcipuli rogarent *d*): *Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, et transplantare in mare: et obediet vobis.*

Moxque additur parabola, quæ nos vel maxime humiliter de nobis ſentire docet, qui toti Deo obstricti omnia ei debemus per ſimilitudinem ſervi iuſſa domini ſui exequentis: *Nunquid gratiam*, ſubdit *e*), *habet ſervo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat? Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus,*

a) *Matth. XIII.* 33. *b*) *Rom. I.* 16. *c*) *Matth. XVIII.* 19. *d*) *Luc. XVII.* *e*) *Ib.* 9.

quod debuimus facere, fecimus. Non abludit parabola Matth. XX. de patrefamilias (ab ipſo Chriſto explicata in myſterio, poſtquam apoſtolis, omnibus relictis eum ſequentibus vitam æternam promiſiſſet) *qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.* Cum autem, qui primo mane venerunt, murmurarent, quod noviſſimos pares illis fecerit, *qui*, ut aiunt, *portavimus pondus diei et æstus, ille reſpondens uni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conveniſti mecum. Tolle, quod tuum eſt, et vade: volo autem et huic noviſſimo dare ſicut et tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erunt noviſſimi primi, et primi noviſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.* Dixerat Chriſtus hanc parabolam, dum aſcendens Hieroſolymam ſecreto apoſtolis aperuerat, quæ eum ibi fata manerent a Judæis, quos maxime attinet parabola, quam propoſuit invitatus ad prandium a principe quodam ſacerdotum, cum aliquis ex diſcumbentibus diceret illi *a*): *Beatus, qui manducat panem in regno Dei. At ipſe dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. Et miſit ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia iam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes excuſare.* Quales non ſolum tunc erant Judæi ad nuptias agni fruſtra a Chriſto et eius apoſtolis invitati *b*), ſed etiam invidus ille fratri

a) *Luc. XIV.* 15. *b*) *Ib. XV.* 11. *etc.*

ſuo prodigo quidem (gentilibus ſcilicet) qui profectus eſt veluti in regionem longinquam, ibique diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe; cui revertenti cum pius Pater prandium pararet, indignatus frater ſuus veniens ex agro noluit introire: etiam a Patre, ad eum egreſſo, rogatus: quod fecit cœleſtis Pater mittendo filium ſuum ad Judæos. Cuius vero viſcera non commoveantur legendo in parabola illa pium patris affectum non ſolum in recipiendo filio, qui perierat, ſed etiam in perſuadendo filio indignante patrique exprobante, quod paterno affectu fecerat erga fratrem. At *ipſe dixit illi a): Fili, tu ſemper mecum es, et omnia mea tua ſunt: Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus eſt.* Quis ad hunc tenerrimum patris affectum, intimis cordis medullis non moveatur? Quis non in parabola de divite et Lazaro, apud Lucam capite ſequenti, dum ſortem ſpectat tam diſparem epulonis divitis in hac vita, conferens eam animo cum Lazari miſeria, *qui ad divitis ianuam iacebat ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, et nemo illi dabat*, quis inquam non intime afficiatur animo, indignatus epuloni? quam benigne vero et æquanimiter eum pater Abraham alloquitur, cum eum rogaret, mittere Lazarum ad refrigerandam linguam, cum cruciaretur in flamma? *Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, et Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris.*

a) *Luc. XV.* 21.

Quibus vero verbis adverſam quisquam ſuffenæ Phariſaicæ iustitiæ paupertatem ſpiritus ſpiritumque pœnitentiæ præciſius definire potuisset, ut parabola illa, quam Christus *a*) „dixit ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, et aspernabantur cæteros? Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus Phariſæus et alter publicanus. Phariſæus ſtans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Jeiuno bis in ſabbato: decimas do omnium, quæ possideo. Et publicanus a longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare; ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. "

Uti hic Publicanum exosum Judæis ac detestabilis conditionis hominum genus, ita Samaritanum, gentem eisdem execrabilem e regione ponit, opponitque Sacerdoti et Levitæ in parabola composita, ut infra magis elucidabimus, ad ostendendum legisperito, tentanti illum, quis vere esset dicendus proximus. „Suscipiens autem Jesus, dixit *b*): Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt ſemivivo relicto. Accidit autem, ut ſacerdos quidam descenderet eadem via: et viso illo præterivit. Similiter et Levita, cum esset ſecus locum,

a) *Luc. XVIII. 9.* *b*) *Ib. X. 30.*

et videret eum, pertranſiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus: et videns eum, misericordia motus est; et appropians alligavit vulnera eius etc.“ Animadverte, quam articulatim hic recenseat, quæ Samaritanus ſaucio præstiterit charitatis officia, uti antea desperatum deplorabilemque eius ſtatum, quo magis misericordia dignum eum ostenderet. Tum quærit ex legis perito: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: qui fecit miſericordiam in illum.. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac ſimiliter.*

Sic cum Simone Phariſæo egit, quando ſibi apud eum prandenti *a*) „mulier, quæ erat in civitate peccatrix ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, et capillis capitis ſui tergebat, et osculabatur pedes eius, et unguento ungebat. Videns autem Phariſæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, ſciret utique, quæ et qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est. Et respondens Jesus dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte iudicasti.“ Quodsi in memoriam revocemus modo memoratam parabolam de Phariſæo et Pu-

a) *Luc. VII.* 38.

blicano, coniicere licet, fuisse, quæ Christus Καρδιογνώστης, quem nullum latuit ſecretum, Simoni in animum revocare voluerit latentia peccata ac crimina locutus ad cor, iis, quibus eum mira ſuavitate post relatum modo ſermonem, allocutus est verbis; „Conversus, quod probe notandum, ad mulierem: Vides, ait, hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem mulier lacrymis rigavit pedes meos, et capillis ſuis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit." An non tacite Simoni insinuare videatur hic Christus eum esse ipsum, cui minus dimittitur, quia minus diligit? Hoc est quod nos Germani dicimus: *das Gewissen rühren.* Quem vero peccator minus aut magis diligere debet, ut minus aut magis ei remittatur, nisi Deum? quem se Christus esse haud obscure hic edixit, charitatis officia ſibi præstita aut præstanda ei facta esse profitendo, qui peccata remittit, qui est Deus. *Dixit autem ad mulierem: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt, qui ſimul accumbebant dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* modestius hæc dicunt hi, quam Scribæ illi, perinde ignari divinæ Evangelii Christi Verbi incarnati œconomiæ, cum Christus paralytico, ut ſupra memini-

mus, diceret a): *fili, remittuntur tibi peccata tua*, dicentes intra ſe, hic blaſphemat, quod remittendi poteſtas ſoli Deo competat, qualem illi Chriſtum eſſe non agnoſcebant.

Erant, ut Lucas memorat evangeliſta b), *appropinquantes ei publicani, et peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant Phariſæi et Scribæ dicentes: quia hic recipit peccatores, et manducat cum illis.* Dicebat tunc illis parabolam illam, qua nihil convenientius eſſe poteſt, ad demonſtrandum tenerrimum ſuum erga perditum humanum genus affectum, de homine nimirum, qualis ille ad nos redimendos eſſe voluit, „qui habet centum oves: et ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, et vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam? Et cum invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens: et veniens domum convocat amicos et vicinos dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.“

Sed tales ſe, qui pœnitentia non egerent, ſaltem hominibus oſtentare volebant Phariſæi. Unde ipſis Chriſtus væ ingeminat c): *Quia eſtis ut monumenta quæ non apparent, et homines ambulantes ſupra neſciunt.* Hæc Chriſtus cum apud Phariſæum

a) *Matth.* IX. 2. b) *Luc.* XV. 1. c) *Ib.* XI. 44.

quemdam pranderet. *Phariſæus autem*, (cum iam recubuiſſent) *cæpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis et catini, mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina, et iniquitate:* prout etiam apud Matthæum *a*) inter alia complura *Væ* illud multo expreſſius habetur, quod ex Luca retulimus de monumentis ſeu ſepulchris cadaverum conditoriis, a quibus, ne immundi fierent, tantopere abhorrebant, nec quidem propius ad ſepulchra accedentes, ut ex eorum ſcriptoribus palam fit, quare ea calce quoque dealbabant. Ut adeoque nihil gravius ad eos conſtringendos, confundendosque excogitari poterat, quam ſi oſsibus mortuorum, et omni ſpurcitiæ cadaverum compararentur, prout apud Matthæum legitur: *Væ vobis Scribæ et Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſsibus mortuorum, et omni ſpurcitia. Sic et vos aforis quidem paretis hominibus iuſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi et iniquitate.* Tum vero inter tot *Væ* illa non abs re primum apud Matthæum ponitur *b*): *Væ autem vobis Scribæ et Phariſæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.*

Quod nempe tunc faciebant illi, populum quoque avertentes a Chriſto, homine pro nobis facto, ut ovem perditam reduceret iuxta parabo-

a) *Matth.* XXIII. 25. *b*) *Ib.* 13.

lam, cui præmittit apud Matthæum Christus una brevi ſententia finem adventus ſui in terram *a*): *Venit enim filius hominis ſalvare quod perierat*; eandemque reperit, cum murmurarent, *quod ad hominem peccatorem divertisset* Zachæum nimirum publicanum, quem ovem perditam quærens ad pœnitentiam adduxerat *b*): „Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: et ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. At Jesus ait ad eum: Quia hodie ſalus domui huic facta est: eoquod et ipſe filius ſit Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere, et ſalvum facere, quod perierat." Quæ est divina Evangelii Christi œconomia.

Factus est tunc Zachæus vere filius Abrahæ, in cuius ſemine benedicendæ erant omnes gentes per Christum redimendæ a ſervitute peccati non terreno per Messiam constituto regno, quale exſpectabant Judæi, de quibus Evangelista, „Hæc illis, pergit c), audientibus adiiciens dixit parabolam, eoquod esset prope Jerusalem: et quia existimarent, quod confestim regnum Dei manifestaretur. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, et reverti. Vocatis autem decem ſervis ſuis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini, dum venio. Cives autem eius oderant eum: et miserunt legationem post illum, dicentes: nolu-

a) *Matth. XVIII.* 11. *b*) *Luc. XIX.* 7. *c*) *Ib.* 11.

mus hunc regnare ſuper nos.“ Quid expreſſius ſignificantiusque dici in Judæos potuit, hominem illum nobilem unigenitum filium Dei recipere detrectantes, atque mnam ſuam *repoſitam in ſudario* habentes? Unde illis ablata eſt, et data illi, qui decem mnas habet in Eccleſia per omnes gentes diſperſa. „Et dixerunt ei *a*): Domine habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet auferetur ab eo. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, et interficite ante me:“ omnia hæc experti ſunt, experiunturque miſeri Judæi. *Et his dictis, præcedebat aſcendens Jeroſolymam.*

CHRISTUS SE NON JAM IN PARABOLIS SED PALAM FILIUM DEI PROFITETUR MIRACULIS COMPROBATUM.

XXII. Quis ſit ille *Homo quidam nobilis*, ut uberius ſuo loco ediſſeremus, qui *abiit in regionem longinquam, accipere, ſibi regnum et reverti*, nobis præ cæteris Evangeliſtis S. Joannes ſublimiſſime, quod eſt caput in divina Evangelii Chriſti Verbi incarnati œconomia, manifeſtavit, ut ex initio Evangelii eiusdem in exordio ſtatim declaravimus: ubi divini verbi generationem ante tempora ex Patre æternam, eiusque Incarnationem in tempore ex matre expoſuimus. Subinde porro quædam

a) *Luc. XIX.* 25.

notavimus S. Joannis Baptiſtæ præcurſoris Domini verba, quæ Christum æterni Patris Filium indicant ex eodem Evangelista Joanne: qui etiam primum habet Christi de se ipso testimonium in ſermone cum Nicodemo, quo idem dicitur, quod in parabola de homine nobili abeunte in regionem longinquam accipere ſibi regnum et reverti. *Nemo*, ſunt Christi verba *a*), *ascendit in cælum*, *nisi qui descendit de cælo*, *qui est in cælis :* nempe, *qui est in ſinu Patris b*), ut S. Joannes præcurſor in primo ſuo de Christo teſtimonio rem explicat, deinde vero aperte Nicodemo Christus unigenitum Dei Filium declarat ſemetipſum *c*): *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret : ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Quod S. Joannes Evangelista in epistola ſic exprimit *d*): *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Est hæc divina Evangelii Christi, Verbi incarnati, œconomia, a qua toto cœlo aberrarunt Judæi. Vidimus ſupra, quam frivolis rationibus (ne quid de blasphemia dicam irremissibili in Spiritum ſanctum, qua eum in Beelzebub principe dæmoniorum dicebant eiicere dæmonia) ſigna et opera eius eludebant, quibus se missum a Patre cœlesti coæqualem et naturalem eius Filium esse demonſtrabat; quo Christus utebatur ad eos convincendos argumento: *Propterea*, ut Joannes Evangelista testatur *e*), *persequebantur Judæi Jesum*, *quia hæc*

a) *Jo. III.* 13. *b*) *Ib. I.* 18. *c*) *Ib. III.* 16. *etc.*
d) *I. Jo. IV.* 9. *e*) *Jo. V.* 16.

(ſigna) *faciebat in ſabbato.* *Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Palam se Christus hic prodit verbum illud Domini, quo cœli firmati ſunt, ostendens se, nulla ſabbati habita ratione, perinde operari ac Patrem, qui nunquam cessat ab opere ſuo, quo cœlum et terram fecit, perpetuo concursu in conservatione et gubernatione rerum, quas condidit. Intelligebant ex his verbis, Judæi, dum Patrem ſuum cœlestem compellat, verum se Deum æterni Patris Filium dicere Christum. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non ſolum ſolvebat ſabbatum, ſed et Patrem ſuum dicebat Deum* (πατέρα ἴδιον, proprium filium quem eundem vocat D. Paulus Rom. VIII. 32. non qualem homines vocant Deum Patrem ſuum, Christusque nos docuit orare *Pater noster*) *æqualem se faciens Deo.* Ex ipsa vero miraculi veritate facti in ſabbato, quod utique non inficiabantur, cum ex illo cavillandi ansam arriperent, ostendit ſuam consensionem coniunctionemque cum Patre creatore rerum, et auctore ſabbati, a quo nisi potestatem haberet, non posset præter rerum naturalem ordinem, quod fit in miraculis, quidquam facere. *Amen, amen dico vobis a): non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc et Filius ſimiliter facit. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: et maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini etc.* Dum hic dicit; *Quæcunque enim ille*

a) *Jo. V.* 19.

fecerit, hæc et Filius ſimiliter facit, iterum ſe æqualem Patri Deum declarat, unum in ſubſtantia a ſe ſubſiſtentem coæternum mox ſequentibus verbis *a*): *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipso; ſic dedit et Filio habere vitam in ſemetipso.*

Provocat poſtea ad S. Joannem præcurſorem ſuum, qui *testimonium perhibuit veritati b*), at ſignis nullis teſtimonium ſuum firmavit, unde erat veluti teſtimonium ab homine; Chriſtus autem dicit ſe habere teſtimonium maius Joanne *c*): *Opera enim quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Et qui misit me, ipse testimonium perhibuit de me.* Nempe dum Jeſu baptizato vox de cœlo audita eſt: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Jam meminimus, Judæos a Chriſto ſignum voluiſſe de cœlo videre, hucque iterum reſpiciunt, dum poſt ſatiata quinque virorum millia non contenti *d*), *dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum, ut videamus, et credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, ſicut ſcriptum est: Panem de cælo dedit eis manducare.* Manna datum patribus pro pane de cœlo habent. *Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, et dat vitam mundo.* Cum autem eis declaraſſet, ſe eſſe hunc panem, qui de cœlo deſcendit murmurabant Judæi, *quia dixiſ-*

a) *Jo. V.* 26. *b*) *Ib.* 33. *c*) *Ib.* 36. *d*) *Ib. VI.* 30.

set: Ego ſum panis vivus, qui de cælo descendi, et dicebant: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cuius nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic: quia de cælo descendi? Sic cum Jesus *a*), „mediante festo ascenderet in templum, et doceret, mirabantur, Judæi dicentes: Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit? Respondit eis Jesus, et dixit: Mea doctrina non est mea, ſed eius qui misit me etc. Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere? Nunquid vere cognoverunt principes, quia hic est Christus? Sed hunc ſcimus unde ſit: Christus autem cum venerit, nemo ſcit, unde ſit.“ Spectabant igitur Judæi in ſuo Messia aliam adhuc arcanam originem, præter eam ex ſemine David ſecundum carnem, quam cum in Christo non agnoscerent, vel hinc maxime eorum perplexitas: *alii dicebant b): Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Nunquid a Galilæa venit Christus? Nonne ſcriptura dicit: Quia ex ſemine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eum.*

Cum tunc Jesus perexisset in montem Oliveti *c*), et diluculo iterum venisset in templum, hac captata occasione concurrente omni populo *d*), *iterum locutus est eis Jesus dicens: Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Et iterum cum ſuſtollentibus lapides Judæis *e*),

a) *Jo. VII.* 14. *etc.* *b*) *Ib.* 41. *c*) *Ib. VIII.* 1. *d*) *Ib.* 12. *e*) *Ib.* 59.

ut iacerent in eum, Jesus autem abſcondens ſe et exiens de templo offenderet cæcum natum: *Me oportet*, inquit, *operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari. Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi. Hæc cum dixiſſet exſpuit in terram, et fecit lutum ex ſputo, et linivit lutum ſuper oculos eius, et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Miſſus.) Abiit ergo, et lavit, et venit videns.* Iterum poſteaquam tot miraculis toties illis conteſtatus fuiſſet Chriſtus, unde eſſet, cum maledixiſſent homini, qui fuerat cæcus, ſeque neſcire, unde eſſet, dicerent *a*), *Reſpondit ille homo, et dixit eis: in hoc enim mirabile eſt, quia vos neſcitis, unde ſit, et aperuit meos oculos etc.* At illi eiecerunt eum foras. Quod cum audiſſet Jesus, inveniſſetque eum, dixit ei *b*): *Tu credis in Filium Dei? Reſpondit ille, et dixit: Quis eſt, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jeſus: Et vidiſti eum, et qui loquitur tecum, ipſe eſt. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum. Et dixit Jeſus: In iudicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant:* Ad tanta nimirum ſigna excæcati, ut non vererentur multi ex ipſis dicere: *Dæmonium habet, et inſanit: quid eum auditis? Alii dicebant . . . Nunquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire c)?* Cum porro encænia eſſent, ambularetque Jesus in templo in porticu Salomonis, *circumdederunt eum Judæi et dicebant ei: Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Reſpondit eis Jeſus: Loquor vobis, et non creditis: opera,*

a) *Jo. IX.* 30. *b*) *Ib.* 35. *c*) *Ib. X.* 20.

quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me: ſed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis. Proxime ante hæc ad Judæos de ovili ſuo ſermonem fecit, cuius ipſe et oſtium ſit, et paſtor *a*): „Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur: et ingredietur, et egredietur, et paſcua inveniet. Fur non venit, niſi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis." Hæc benigniſſimus ſalvator ad Judæos, qui ipſum non multo poſt morte turpiſſima erant condemnaturi, quos hactenus indefeſſo labore, ſermone et opere tot nimirum miraculis contenderat ad ovile ſuum vocare. Sed non erant illi ex ovibus ſuis, de quibus, „oves, ait *b*), meæ vocem meam audiunt: et ego cognoſco eas, et ſequuntur me: et ego vitam æternam do eis: et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus eſt: et nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego, et Pater unum ſumus. Suſtulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. Reſpondit eis Jeſus: Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Reſponderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te: ſed de blaſphemia, et quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum." Vah impudentiſſimam perverſitatem! dum a paucis, quibus Chriſtus Evangelium bonum illum

a) *Jo. X. 9.* *b*) *Ib. 27.*

nuncium ſalutis prædicavit, annis, atque regionem omnem Judææ benefaciendo percurrit, non poſſunt non coram teſtari, vidiſſe, et audiiſſe mortuos, quos ad vitam revocavit, vivos, ægros a quacunque infirmitate ac languore ſanos, cæcos videntes, ſurdos audientes, claudos ambulantes, a dæmone obseſſos liberatos; hæc omnia inquam præ oculis habentes audent adhuc dicere, *de bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: et quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum:* qualem tamen, quem ſe profitebatur, operibus demonſtrabat. *Si non facio opera Patris mei a)*, concludit Chriſtus ſermonem, et abit, *nolite credere mihi. Si autem facio: et ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, et credatis quia Pater in me eſt, et ego in Patre. Quærebant ergo eum apprehendere: et exivit de manibus eorum.*

ULTIMUS CHRISTI, RESUSCITATO LAZARO, POST INGRESSUM IN JERUSALEM AD JUDÆOS SERMO.

XXIII. Vide vero, et adora clementiam, et benignitatem Salvatoris noſtri poſt hæc omnia mortis pericula, ut lapidaretur, præcipitaretur, comprehenderetur, quibus ſeſe abſcondens ſubduxit, poſt tot iniurias, contumelias, calumnias, blaſphemias, irriſiones, contemptus; cum nihil proficeret apud Judæos docendo, hortando,

a) *Jo. X.* 37.

arguendo; cum cæci et ſurdi eſſent ad omnia miracula, unum adhuc, dum iam in eo erat, ut expleret opus redemptionis noſtræ, urbem Hieroſolymitanam ingreſſurus, reservaverat idque omnium maximum in Bethania patrandum miraculum prope urbem Hieroſolymam reſuſcitando Lazarum ad vitam, atque e tumulo, in quo iam quatuor diebus latuerat mortuus, multis præſentibus Judæis, qui venerant ad conſolandas ſorores; dum alii poſtea quoque, ut conſpicerent ad vitam revocatum, certatim ex urbe accurrunt, quidam vero quod ſuis oculis viderant, renunciant Phariſæis, et ſacerdotibus, ob hanc rem colligentibus concilium.

Quis non ſibi in animum induceret, Judæorum tandem commotas eſſe mentes, atque convictas, dum ſolemnem iam ſuum ingreſſum parante Christo iuxta prophetiam ab evangeliſtis hac occaſione relatam *a)*: „Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam (triumpho equidem iis, quæ futura erant, reſpondente atque omnem affectati regni terreſtris ſuſpicionem amoliente). Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via; alii autem cædebant ramos de arboribus, et ſternebant in via: turbæ autem, quæ præcedebant, et ſequebantur clamabant dicentes: Hoſanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini: hoſanna in altiſſimis. Et cum intraſſet Jeroſolymam, com-

a) Matth. XXI. 5. Jo. XII. 15.

mota est universa civitas.“ Christus (quod retulimus eum quoque fecisse, cum incipiens prædicationis ſuæ munus Jerosolymam primo ingressus est) mox *a*)· „intravit in templum Dei, et eiiciebat omnes vendentes et ementes in templo; et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit, et dicit eis: Scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum:“ prout nempe in eo, quod propediem facturi erant, impleta est prophetia: „Et accesserunt ad eum cæci, et claudi in templo, et ſanavit eos. Videntes autem principes ſacerdotum et ſcribæ mirabilia, quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Hosanna filio David! indignati ſunt. Christus autem relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam *b*), ibique mansit. Mane autem revertens in civitatem esuriit,“ ſalutem nimirum Judæorum, quos figurabat arbor fici infrugifera ſecus viam, mox arefacta. *c*) „Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes ſacerdotum et ſeniores populi dicentes: In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem? (quam utique hactenus tot ſibi miraculis asseruit.) Respondens Jesus dixit eis: Interrogabo vos, et ego unum ſermonem, quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam, in qua potestate hæc facio.“ Interrogatio autem erat de baptismo Joannis, an ex Deo esset, an ex hominibus, quod cum nescire se dicerent; eos in para-

a) *Matth. XXI.* 12. *b*) *Ib.* 17. *c*) *Ib.* 23.

bolis allocutus, prout iam contestatus erat *a*), *ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt*, tamen adegit, ut ipsi contra se ſententiam ferrent; nimirum de duobus filiis, quorum primo dixit pater *b*): „Fili, vade hodie, operare in vinea mea. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem, pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum dixit ſimiliter. At ille reſpondens, ait: Eo Domine; et non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani, et meretrices præcedent vos in regnum Dei.“ Sic mox in parabola de vinitore, cuius agricolæ ſervos ad se missos male tractarunt *c*), novissime etiam filium hæredem, qualis Christus nos etiam cohæredes tunc constituturus erat *d*), „quem videntes dixerunt intra se: Hic est Hæres: venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, et occiderunt. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? aiunt illi: Malos male perdet, et vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis?“ Quibus profecto nihil accommodatius dici potuisse nos maxime experimur, quibus in nostram ſalutem in eorum locum ex gentibus electis vinea Domini locata est: iam tunc vero ipsi etiam *e*) *cum audisſent principes ſacerdotum et Pharisæi parabolas eius*,

a) *Matth. XIII.* *b*) *Ib. XXI.* 28. *c*) *Ib.* 33. *d*) *Ib.* 38. *e*) *Ib.* 45.

cognoverunt, quod de ipsis diceret; et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam eum ſicut prophetam habebant.

Postquam Matthæus *a*) addidisset parabolam de homine rege, qui fecit nuptias filio ſuo (quas nobis S. Joannes in Apocalypsi indicat, Lucas *b*) vero haud absimilem parabolam a Christo propositam in prandio apud principem Pharisæorum memorat de cœna magna) ſubdit, tunc abeuntes Pharisæos consilium iniisse, ut caperent eum in ſermone *c*), missis discipulis ſuis, ut interrogarent eum, an censum liceret dare cæsari, ad invidiam illi conflandam affectati regni. Unde illis se ſociabant Herodiani, qui nimirum ſtabant a partibus Herodis, qui ipse ſummum affectabat imperium, si illud Romanis eripi potuisset. Accesserunt etiam eo die Sadducæi, qui dicunt, *non esse resurrectionem*, cum Christus de se dixerit: *Ego ſum resurrectio et vita*, quibus benigne quidem habitis, tametsi nihil inconvenientius adversantiusque divinæ Evangelii œconomiæ afferre potuissent, ita respondit, ut ipsi audientes Pharisæi, cum intelligerent, eum ſilentium illis imposuisse, nihilominus iterum convenerint in unum *d*): *et interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum: Magister quod est mandatum magnum in lege?* Christus non dedignatus iuxta ac iam alias in alio legisperito comprobaverat plenitudinem legis et prophetarum con-

a) *Matth. XXII.* 1. *b*) *Luc. XIV.* *c*) *Matth. XXII.* 15.
d) *Ib.* 35.

ſtitui in charitate Dei et proximi, reſpondit *a*): „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem ſimile est huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ.“

Hoc vero ordine charitatis oſtenditur, quo nos loco habeat benignisſimum numen, ſic ipſe diligens mundum, *ut unigenitum Filium ſuum daret* divina Evangelii Christi Verbi incarnati œconomia, quam poſtremum incredulis illis et pervicacibus demonſtraturus *b*), „Congregatis Phariſæis interrogavit eos Jeſus dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius eſt? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?“ Quibus ſimul verbis indicatur, quæ eos inimicos Domini ſui, Christi ſedentis a dextris Dei, etiamnum hodie fata maneant. Id quod Christus ſuis mox verbis intimavit, poſtremum iam turbas allocutus ſimul ad diſcipulos ſuos converſo ſermone dum ait *c*): *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ et Phariſæi* divinam nimirum interpretantes legem; *omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate, et facite: ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt etc.* Tunc illis multiplicia illa *Væ*, ut paſſim etiam

a) *Matth.* XXII. 37. *b*) *Ib.* 41. *c*) *Ib.* XXIII. 1.

alias, prout meminimus, contra Scribas et Phariſæos ingeminat, accumulatque: ac primum quidem ob maximum illud omnium, quo ſe tunc reos, gentem a Christo avertentes, faciebant *a*): *Væ autem vobis Scribæ et Phariſæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.* Ultimo Væ demum, Patres eis obiiciens, qui prophetas Meſſiæ nuncios occiderunt, addit: *Et dicitis, ſi fuiſſemus in die patrum nostrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipſis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete menſuram patrum vestrorum.* Quod nempe antea illis in parabola de vinitore dixerat, qui vineam ſuam locavit agricolis, *cum autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos ad agricolas, ut acciperent fructus eius. Et agricolæ, apprehenſis ſervis eius alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. Iterum miſit alios ſervos plures prioribus, et fecerunt illis ſimiliter. Noviſſime autem miſit ad eos Filium ſuum*, ut mox retulimus: hic vero Christus plane omnia exprobrat et patrum et ſuorum ipſorum, quæ erant completura crimina; et quam ſint luituri pœnam indicit: „Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennæ? Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et ſapientes, et ſcribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in ſynagogis vestris, et perſequemini de civitate in civitatem: ut veniat ſuper vos omnis ſanguis iustus, qui effuſus est ſuper

a) *Matth.* XXIII. 13.

terram, a ſanguine Abel iuſti usque ad ſanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, et noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini." Fuerunt hæc poſtrema ad Judæos verba, quibus dictis egreſſus eſt de templo, iam non illuc reverſurus.

CHRISTI CUM DISCIPULIS SERMO DE EXCIDIO URBIS, ET ORBIS.

XXIV. Mox memorat Matthæus, acceſſiſſe diſcipulos eius, ut oſtenderent ei ædificationes templi. *Ipſe autem reſpondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur a).* Plus modo paucis dixerat: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Et paulo ante in epiphonemate parabolæ de vinitore modo memoratæ, cuius agricolæ filium hæredem occiderunt, alluſione veluti de lapidibus templi facta: „Nunquam, ait b), legiſtis in ſcripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt

a) *Matth.* XXIV. 1. b) *Ib.* XXII. 42.

istud, et est mirabile in oculis noſtris? Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius.“ Non est ulla tam conſpicua oculis noſtris prophetia ſive veteris ſive novi teſtamenti in Evangelio (ubi Christus ita de futuris rebus loqui ſolet, ſicuti nos de præteritis) quam hæc de templo destruendo, ſynagogaque repellenda, ac cultu Judaico; eccleſia vero Christi eius loco constituenda in universo mundo: quod ille mulieri Samaritanæ tam perſpicue, Judæis item toties præſertim in parabolis prædixit, primoque post triumphalem in urbem ingreſſum in ficu arefacta deſignavit die, idem quod iam antea parabola quoque de arbore fici, quam *habebat quidam plantatam in vinea ſua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit* a), excidenda.

At vero ſpem nobis facit Christus eo ipſo loco, quo, eos postremum allocutus, dixit b): *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, dum mox ſubdit: *Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Spes inquam ad complementum divinæ Evangelii Christi œconomiæ ſupereſt, ut qui verba hæc acclamarunt Judæi in triumphali ingreſſu in Hieruſalem ante ſuam paſſionem c), idem facturi ſint ad Christum reverſi ante ſecundum adventum ſuum ad iudicium: ut totum impleatur, quod iam impletum coram ex parte cernimus, quod Jesus

a) *Luc.* XIII. 6. b) *Matth.* XXIII. 38.
c) *Ib.* XXI. 9.

paſtor bonus dixerat *a*): *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus paſtor.* Sic implebitur, quod Chriſtus reſpondit diſcipulis ſuis, quando poſt ultimum illum ad Judæos ſermonem, ſedente eo in monte Oliveti acceſſerunt ad ipſum dicentes *b*): *Dic nobis, quando hæc erunt? et quod ſignum adventus tui, et conſummationis ſæculi?* Ubi poſtquam multa eis prædixit, quæ debeant præcedere, ſubdit: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: et tunc veniet conſummatio.* Proſequutus autem Chriſtus fata noviſſimorum temporum enarrare, ipſumque extremum iudicium, *Ab arbore autem fici,* ſubdit *c*), *diſcite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit, et folia nata, ſcitis, quia prope eſt æſtas: ita et vos, cum videritis hæc omnia, ſcitote, quia prope eſt in ianuis.* An non forte arbor hæc ficus illa arefacta repullulans eſt populus Judaicus? De quo Apoſtolus *d*): „Sed et illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere illos. Nam ſi tu (alloquitur Apoſtolus Eccleſiam, reiecta ſynagoga, ex gentilibus electam) ex naturali exciſus es oleaſtro, et contra naturam inſertus es in bonam olivam quanto magis ii, qui ſecundum naturam inſerentur ſuæ olivæ? Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc (ut non ſitis vobiſipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec

a) *Jo. X.* 16. *b*) *Matth. XXIV.* 3. *c*) *Ib.* 32.
d) *Rom. XI.* 23.

plenitudo gentium intraret, et ſic omnis Israel ſalvus fieret, ſicut ſcriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob." An non forte ad beatam hanc Judæorum ſortem pertinet, quod in psalmo dicitur *a*): *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia, et miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum, renovabitur ut aquilæ iuventus tua.* Spectata rerum converſione, quam alio opere inſcripto *Eccleſia militans regnum Chriſti in terris b*) notavimus in utraque republica noviſſimis temporibus futuram coniuncta ultimata R. J. defectione cum converſione Judæorum ad fidem, ut ſperatur, lucem hæc accipiunt obſcurius adhuc emicantem, involutam nempe futurorum temporum illorum caligine. Apud Lucam memoratur, interrogatum a Phariſæis Jeſum: *Quando venit regnum Dei*, reſpondiſſe eis: *Non venit regnum Dei cum obſervatione: neque dicent: ecce hic, aut ecce illic: Ecce regnum Dei intra vos eſt!* Expoſuit autem deinde diſcipulis ſua ipſorum et noviſſimorum temporum diſcrimina: poſt quæ *reſpondentes dicunt illi: ubi domine? Qui dixit illis ubicunque fuerit corpus, illuc congregantur et aquilæ.* Quem locum infra ſuo loco pluribus ediſſeremus. Fuit in Judæa corpus Chriſti a Judæis occiſum τὸ πτῶμα cadaver. Congregari igitur poterunt ibi Judæi quando renovabitur ut aquilæ iuventus eorum ad Chriſtum converſorum; quemadmodum

a) *Pſalm. CII.* 4.

b) *T. II. p.* 227. *etc. add. T. I. cap. XII. Rom. Imp. fata cum Eccleſia noviſſimis coniuncta p.* 57. *ſeqq.*

aquila Romanorum ſignum militare adfuit Hieroſolymis ad eius excisionem. Apud Matthæum verba illa ponuntur inter ſigna ſecundi adventus Christi *a*): „Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem: ita erit et adventus Filii hominis. Ubicunque fuerit corpus, illic congregantur et aquilæ. Statim autem post tribulationem dierum illorum, ſol obscurabitur; et luna non dabit lumen ſuum, et ſtellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur: et tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et maiestate etc.“

Equidem promiscue ponuntur ſigna illa excisionis urbis Hieroſolymæ et orbis, ſeu consummationis ſæculi *b*); *de die autem illa et hora nemo ſcit, neque angeli cælorum, nisi ſolus Pater.* Quandoquidem nos ſemper vigilare vult, *quia*, ait, *nescitis, qua hora Dominus vester venturus ſit.* Apertius utraque desolatio urbis et orbis distinguitur apud Lucam *c*): *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc ſcitote, quia appropinquavit desolatio eius*, quam post annos quadraginta tunc ſunt experti, experiunturque, prout mox ſequitur *d*): *Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum.* Ad discipulos gente

a) *Matth. XXIV.* 27. *b*) *Ib.* 36. *c*) *Luc. XXI.* 20.
d) *Ib.* 24.

Judæos loquitur, perſequiturque, quæ adventum filii hominis præceſſura ſint „ſigna in ſole, et luna, et ſtellis, et preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris, et fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, et exſpectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi, nam virtutes cœlorum movebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, et maieſtate. His autem fieri incipientibus, reſpicite, et levate capita veſtra: quoniam appropinquat redemtio veſtra.“ Affert tunc ſimilitudinem modo exſplicatam de *arbore fici a)* ſeu ficulnea, *et omnibus arboribus.* Demum ut læti poſſint reſpicere, et levare capita ſua, *quoniam appropinquat redemtio veſtra;* ne illa excidant cum impiis, cavet ſuis: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula et ebrietate, et curis huius vitæ: et ſuperveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.* Hoc igitur bonorum et malorum eſt diſcrimen, quod hi *cum,* iuxta Apoſtolum *b), dixerint pax et ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habenti, et non effugient. Vos autem fratres non eſtis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat.* Prout nimirum Chriſtus apud Matthæum loquitur *c)*: *Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, et non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo et vos eſtote parati: quia qua neſcitis hora,*

a) *Luc.* XXI, 29. b) *I. Theſſal.* V. 3.
c) *Matth.* XXIV. 43.

Filius hominis venturus eſt. Faciunt huc, quæ ſequuntur de decem virginibus *a*), quinque prudentibus oleum in lampadibus habentibus, ac vigilantibus, et fatuis quinque, quorum lampades oleo deficiente, dum moram facit ſponſus, extinguuntur: Homine item, qui *peregre proficiſcens vocavit ſervos ſuos, et tradidit illis bona ſua . . . Poſt multum vero temporis venit dominus ſervorum illorum, et poſuit rationem cum eis.* Quis vero edicere queat, quam vividis perinde nativisque coloribus, ac inductionibus omnia hæc ſint oculis expoſita, quamque gravi ac Θεοπρέπῃ cum ſimplicitate procul omnibus rhetoricis pigmentis humanæque ſapientiæ verbis propoſita, perinde ac ipse ille actus iudicii *b*): „Cum autem venerit Filius hominis in maieſtate ſua, et omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: et congregabuntur ante eum omnes gentes, et ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis. Et ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hœdos autem a ſiniſtris etc.“

CHRISTUS PROCEDIT IN JERUSALEM MORITURUS PRO NOBIS.

XXV. S. Joannes, qui Evangelium ſuum poſt excidium Hieroſolymitanum ſcripſit, fata autem Eccleſiæ conſummationem ſæculi in Apocalypſi ſua adumbravit, ſilentio hæc, quæ modo diximus,

a) *Matth.* XXV. *b*) *Ib.* 31.

omnia præterit, etſi in Judæa atque Hieroſolymis a Chriſto dicta, quæ alias ſingillatim perſequitur, in ſupplementum reliquorum Evangeliſtarum, qui potiſſimum enarrant, quæ a Chriſto in Galilæa ſunt geſta, ubi, præter feſta fere Hieroſolymis concelebranda, commoratus docuit, ac quam plurima patravit miracula ad finem propemodum vitæ ac ultimam vitæ hebdomadam, de qua Joannes narrat *a*), Jeſum ante ſex dies paſchæ veniſſe Bethaniam, ubi Lazarum ſuſcitaverat a mortuis. *Fecerunt autem ei cœnam ibi: et Martha miniſtrabat, Lazarus vero unus erat ex diſcumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, et unxit pedes Jeſu, et extersit pedes eius capillis ſuis.* Occaſionem hanc arripit Chriſtus prædicendi proximam ſepulturam ſuam, ſicut non ſemel aperte prædixerat paſſionem, mortem, et poſt tres dies reſurrectionem ſuam. Cum autem eum ibi eſſe cognoviſſet turba multa Judæorum, ſubdit Evangeliſta, eos veniſſe illuc. Non propter Jeſum tantum, ſed ut Lazarum viderent, quem ſuſcitavit a mortuis; quem vero et ipſum cogitaverunt principes ſacerdotum imperceptibili perverſitate interficere. Turbam vero in craſtinum propterea obviam ei veniſſe narrat Evangeliſta *b*), *Quia audierunt, cum feciſſe hoc ſignum.* Omnia hæc ad præſtitutum finem redemptionis noſtræ per paſſionem et mortem ſuam ſerviebant Chriſto, ſive amico ſive inimico animo fierent: deducebaturque in urbem velut in triumpho, qui paucis poſt diebus

a) *Jo. XII.* 1. *etc.* *b*) *Ib.* 18.

erat exaltandus in cruce. *Turba etiam multa a), quæ venerat ad diem feſtum, cum audiſſent, quia venit Jeſus Jeroſolymam, acceperunt ramos palmarum, et proceſſerunt obviam ei, et clamabant: Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael.* Cum vellent porro *quidam gentiles ex his, qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto*, Jeſum videre, teſtatus is, veniſſe horam, *ut clarificetur Filius hominis b)* incomparabili illa allegoria mortem ac proventuram inde ſalutem apoſtolis, deſiderium gentium denunciantibus, ſignificavit: *Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam ſuam, perdet eam: et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Hæc apud alios omnes tres Evangeliſtas aliis occaſionibus dicta iam notavimus. Horrore vero iam imminentis immanis, quam perpeſſurus erat, mortis turbatus animo, *Et quid dicam?* inquit *c)*, *Pater, ſalvifica me ex hac hora? Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Rogavit Chriſtus, ut clarificetur nomen Patris, *Nomen tuum;* gloriæ autem, quam habet Deus in ſeipſo nihil addi poteſt. Unde Chriſtus rem omnem, divinam nimirum Evangelii ſui œconomiam in cruce conſummandam, pandens, *Non propter me*, inquit *d)*, *hæc vox venit, ſed propter vos. Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi*

a) *Jo. XII.* 12. b) *Ib.* 23. c) *Ib.* 27.
d) *Ib.* 30.

eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, ſignificans, qua morte esset moriturus: immensa nimirum erga nos charitate, qua maiorem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, dum is insuper pro nobis mortuus esset, cum adhuc inimici essemus. Atque hinc clarus fit nexus, ac contextus verborum Evangelistæ *a*): *Ante diem festum paschæ, ſciens Jesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexisset ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos:* quando nimirum pro dilectis ſuis ſeipsum tradidit in mortem.

EUCHARISTIÆ INSTITUTIO.

XXVI. Sic nimirum Pascha nostrum immolatus est Christus. Neque enim ob legale, quod inſtabat, Pascha dixit *b*): *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Erat hoc Pascha, quod, antequam pateretur, ac se ipsum agnum immaculatum in cruce offerret ſacrificium cruentum, incruentum iam tunc in cœna discipulis ſuis exhibuit, de quo loquuntur cæteri tres Evangelistæ *c*), S. Joannes vero hoc prætermisso, *reliquis Evangelistis*, ut observat S. Augustinus *d*), „cum quibus ab initio libri ſui raro eadem dixit in Christi altiora ſubvectus, ad passionis

a) *Jo.* XIII. 1. *b*) *Luc.* XXII. 15. *c*) *Matth.* XXVI. 26. *Marc.* XIV. 22. *Luc.* XXII. 19.
d) *Lib.* IV. *de consensu Evangel. c.* 10. *et ult.*

tempus concurrens, ipſam dominicam cœnam, de qua nullus eorum tacuit, multo opulentius, tanquam de cellario dominici pectoris, ubi diſcumbere ſolebat, exhibuit."

Tres reliqui Evangeliſtæ, veluti etiam S. Paulus uno ore nobis narrant *a*), quod Chriſtus gratias agens acceperit panem, et fregerit, ſimiliter et calicem, diſcipuliſque dederit ad edendum et bibendum, clariſſimis verbis, eſſe corpus et ſanguinem ſuum conteſtatus. Igitur dum in veritate Chriſtus realiter ſiſtitur in Altari, et offertur, quis hic verum ſacrificium eſſe neget a Chriſto in ultima cœna inſtitutum, et in memoriam cruenti ſacrificii in cruce fieri præceptum? dicente: „Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem poſtquam cœnavit dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite quotieſcunque bibetis in meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, vel calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis, donec veniat." Quæ verba iuge ac perenne ſacrificium ſignificant usque ad adventum Domini. Ingratos vero illos (contra ipſum Euchariſtiæ nomen, quod ſacrificio huic a prima inſtitutione inditum eſt) pro tanto beneficio iam S. Ignatius notavit *b*), „eoquod non confiteantur, Euchariſtiam carnem eſſe Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater

a) *I. Cor. XI.* 24. *b*) *Epiſt. ad Smyrnæos. n.* 7.

ſua benignitate ſuscitavit. Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur." Alludit hic S. Joannis discipulus ad invicem litigantes Judæos „dicentes *a*): Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: et ego reſuscitabo eum in noviſſimo die. Caro enim mea vere eſt cibus et ſanguis meus vere potus etc." Quam multi quæſo ſunt hodie, qui cum diſcipulis illis, quos S. Joannes notat, dicunt *b*): *Durus eſt hic ſermo, et quis poteſt eum audire?* moxque ſubdit; ex hoc multos diſcipulorum eius abiiſſe retro, et iam non cum illo ambulaſſe. Quodſi vero allegorice tantum locutus fuiſſet Christus, quomodo durus eſſe ſermo potuiſſet diſcipulis illis, quem nemo poſſet audire? Quis dubitet benigniſſimum ſalvatorem, quod uno verbo facere potuiſſet, eos fuiſſe instructurum, ne retro abirent. At non ſolum hoc non fecit, verum etiam ſententiam ſuam ac verba firmavit ad duodecim dicendo: *Nunquid et vos vultis abire? Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Sic nos cum tota retro Eccleſia Christi *eum*, ut cum S. Justino loquar in ſua Apologia pro fide christiana, *qui per orationem verbi, quod ab*

a) *Jo. VI.* 53. *b*) *Ib.* 61.

eo est, eucharistia facta est; cibum ex quo carnes nostræ et ſanguis per mutationem nutriuntur, ipsius incarnati Jesu et carnem et ſanguinem esse, edocti ſumus: Gratique εὐχαριστοῦντες, quod dignum et iustum est, gratias pro gratia agentes pro præcipuo hoc divinæ Evangelii Christi Verbi incarnati œconomiæ monumento hactenus id agimus, quod ibi memorat idem S. Martyr: „dum ei qui præest, ex fratribus offertur panis et poculum aquæ et vini: quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Patri per nomen Filii et Spiritus ſancti emittit, et gratiarum actionem pro eo, quod nos hisce dignatus ſit, prolixe prosequitur: atque ubi perfecit preces, et gratiarum actionem, populus, qui adest, omnis acclamat, dicens, Amen."

LOTIO PEDUM.

XXVII. Lotionem pedum, quæ ceu præparatio communioni eucharisticæ præmissa fuerat, ſolus commemorat S. Joannes; qui etiam, quæ proditorem Judam attinent, pluribus prosequitur, et in lotione intentum item a Christo ſpectans finem, quem post eamdem lotionem recumbens indicavit discipulis, cum illi paulo ante, quis eorum videretur esse maior, inter se contendissent: „Scitis, ait, quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, et Domine: et bene dicitis: ſum etenim. An hæc magister humilitatis ex dictatu Evangelii ſui dicere

potuiſſet Chriſtus homo, niſi etiam ſimul Deus fuiſſet? Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus et Magiſter: et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. Amen, amen dico vobis: Non eſt ſervus maior domino ſuo: neque apoſtolus maior eſt eo, qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Non de omnibus vobis dico: ego ſcio, quos elegerim: ſed ut adimpleatur ſcriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum. Amodo dico vobis, priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis, quia ego ſum." Nempe *ego ſum*, *qui ſum*, Jehova, Deus; quem ſe demonſtrat ex præſcientia futurorum ſibi propria tanquam Deo, non ut prophetæ dicebant: *Hæc dicit Dominus.* Chriſtus autem tanquam Deus per totum Evangelium loquitur de futuris perinde ac nos de præteritis. Atque hic quoque ſe Dominum, uti ſemper et ubique in Evangelio divina humanis, et viciſſim humana divinis miſcens, vocat, ubi apoſtolos, ſuo etiam exemplo in lotione pedum, ad humilitatem, procul omni faſtu in hierarchia ſua, hortatur. Mox tamen iuxta divinam Evangelii Chriſti, quod apoſtoli miſſi in univerſum mundum erant prædicaturi, œconomiam, divinam eorum firmat, ſolito quoque ſuo iuramento, auctoritatem, dum mox ſubdit *a*): *Amen, amen dico vobis: Qui accipit, ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit,*

a) *Jo. XIII.* 20.

accipit eum, qui me miſit. Quæ verba etiam leguntur Matth. X. 40. et Luc. X. 16. tam apoſtolorum quam LXXII. diſcipulorum gratia prolata.

ULTIMUS CHRISTI AD DISCIPULOS SERMO.

XXVIII. In admirabili illo Chriſti ſermone, quem poſtquam Judas proditor iam exiſſet accepta buccella intincti panis habuit, quemque ſolus nobis uti ſublimiora quæque S. Joannes reliquit *a*), ante omnia diſcipulis *Mandatum novum* illud denuncians, *ut diligatis*, inquit, *invicem, ſicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Indicaverat illis modo non ſolum diſceſſum ſuum, verum etiam eos non poſſe venire, quo ipſe vaderet. Ne vero concidcrent animo, aut fiduciam in eum amitterent, antequam ad præceptum diligendi Deum, quod eſt primum et maximum, progrederetur, eos primum in fide inſtruere voluit, ac docere, credere in Deum, eſſe etiam credere in ipſum, hoc eſt in Patrem et Filium unum Deum. *Creditis*, ait *b*), *in Deum, et in me credite.* Tum eos de ſuo diſceſſu ſolaturus, *Quia*, ait, *vado parare vobis locum . . . Et quo ego vado ſcitis, et viam ſcitis. Dicit ei Thomas: Domine neſcimus, quo vadis: et quomodo poſſumus viam ſcire?*

a) *Jo. XIII.* 34. *b*) *Ib. XIV.* 1.

Dicit ei Jesus: Ego ſum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Est hæc divina Evangelii Christi Verbi incarnati œconomia, ut ſuis locum per mortem ſuam pararet in regno Patris ſui. Cui ut se æqualem ostenderet, *Non creditis*, ait *a*), *quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Signa nimirum ſeu miracula, per quæ Christus se a Patre miſſum demonstravit; unde ſubdit: *alioquin propter opera ipsa credite.* Ut vero opera hæc perinde ſua ac Patris esse ostenderet: *Amen, amen*, pergit, *dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado, et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Se facturum dicit, quod petierint Patrem in nomine ſuo, *ut glorificetur Pater in Filio*, Patri nimirum conſubstantiali. Post hæc etiam eis Spiritum ſanctum manifestat (quibus postea præceptum dederat eundi in universum mundum, prædicandi Evangelium, et baptizandi *b*) „in nomine Patris, et Filii, et Spiritus ſancti) si diligitis me, mandata mea ſervate. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, ſpiritum veritatis, quem mundus non potest accipere . . . . Paraclitus autem Spiritus ſanctus *c*), quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,“

a) *Jo. XIV.* 10. *b*) *Ib.* 15. *c*) *Ib.* 26.

Digitized by Google

abiturus ad Patrem, miſſurusque conſolatorem optimum in malis huius vitæ in hoc mundo; *non quomodo mundus dat, ego do vobis*, ait. *Non turbetur cor veſtrum neque formidet etc.*

Sic intrepide procedens iam Chriſtus, *ſurgite*, ait, *eamus*, ut mox iterum repetit procedens poſtea in occurſum paratorum cum Juda lictorum. Experturus, quomodo in amaritudinem converſa ſit vitis, a Patre ſuo plantata, iam aliena: *Ego*, inquit *a*), *ſum vitis vera, et Pater meus agricola eſt.* Et: *Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum . . . in hoc clarificatus eſt Pater meus b*), *ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei diſcipuli. Sicut*, ait, *dilexit me Pater, et ego dilexi vos.* ' Eſt hic admirabilis ille ac plane divinus ordo amoris. Sicut Pater Filium ſibi per naturam divinam conſubſtantialem, ita nos Filius nobis per humanam naturam conſubſtantialis diligit, et a nobis diligi vult, idem Deus et homo: ut ſicut per unionem hypoſtaticam utraque coniuncta eſt, ita etiam in dilectione maneat, divina Evangelii Chriſti Verbi incarnati œconomia. *Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut et ego Patris mei præcepta ſervavi, et maneo in eius dilectione.* Chriſtus autem præcepta Patris ſui ſervavit factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, manens in dilectione eius, ita et nos ſervando præcepta Chriſti manere in eius dilectione debe-

a) *Jo. XV.* 1. *b*) *Ib.* 5.

mius. Atque hinc mandatum novum illud, de quo primum mentionem fecerat recapitulans declarat, quomodo velit, ut invicem diligant ſeſe diſcipuli ſui, ſicut ipse eos dilexit *a*): *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis etc.* Tum vero animos eorum præparans ad ea, quæ eos manebant mala a mundo, ut Chriſto a Judæis, *Hæc*, ait *b*), *mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit etc.* Poſtquam dixiſſet, quis eſſet mundus, et quæ ab illo eos mala exſpectarent, de ſuo diſceſſu ad Patrem ex adventu Paracliti eos ſolaturus, *Quia*, inquit *c*), *hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam: Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Alibi promiſit diſcipulis ſuis, ſe cum illis futurum usque ad conſummationem ſæculi, hic autem toties repetit, ſe abiturum. Oportebat Chriſtum nempe humana natura indutum poſt mortem et reſurrectionem ſuam corporaliter intrare in gloriam ſuam; qui vero unus cum Spiritu ſancto perinde ac Patre Deus ſemper nobis adfuturus eſſet, iam ſingulariter per redemtionis ſuæ gratiam, de his certos et ſecuros eſſe volens „adhuc multa, ait *d*), habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare

a) *Jo. XV.* 12. *b*) *Ib.* 17. *c*) *Ib. XVI.* 6.
d) *Ib.* 12.

modo. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a ſemetipſo; ſed quæcunque audiet, loquetur, et quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. " Deinceps iterum mala eis in mundo perferenda prædicens, ſolatur eos, quod triſtitia eorum ſit convertenda in gaudium: certa fiducia item obtinendi, quidquid petierint Patrem in nomine ſuo: *Usquemodo non petiſtis quidquam Patrem in nomine meo: Petite, et accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Tum demum divinam Evangelii Verbi incarnati œconomiam omnem complexus: „Ipse Pater, inquit *a*), amat vos, quia vos me amaſtis, et credidiſtis, quia a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Dicunt ei diſcipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis: nunc ſcimus, quia ſcis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget: in hoc credimus, quia a Deo exiſti. "

a) *Jo. XVI.* 27.

ORATIO CHRISTI AD PATREM.

XXIX. Poſtremum ipſam hanc divinam Evangelii œconomiam Chriſtus Patri ſuo cœleſti *ſublevatis oculis in cælum* ardenti oratione comendans, *dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te a*). Niſi Chriſtus Deus fuiſſet, cui ſoli debetur honor et gloria, dicere non potuiſſet: Pater clarifica Filium; nec clarificare potuiſſet Patrem, ſi Filius hominis Chriſtus Jeſus ſimul non etiam Filius Dei fuiſſet. Inſtabat iam tempus, de quo Chriſtus ad Nicodemum *b*): *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Hoc eſt, quod ſequitur in Oratione Chriſti. *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* Sed *quia* ut pergit in colloquio cum Nicodemo *c*), *lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera;* ſeu ut Evangeliſta prius dixerat *d*): *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipſum factus eſt, et mundus eum non cognovit.* Hinc Chriſtus orans Patrem: *Non pro mundo rogo*, ait, *ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt*, apoſtoli nimirum, de quibus, *Ego*, inquit *e*), *dedi eis ſermonem meum, et*

a) *Jo. XVII.* 1. *b*) *Ib. III.* 14. *c*) *Ib.* 19.
d) *Ib. I.* 9. *e*) *Ib. XVII.* 14.

mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut et ego non ſum de mundo. Non rogo, ut tollas eos de mundo, quos nimirum miſit in univerſum mundum ad prædicandum Evangelium. Unde poſtquam rogaſſet Patrem, ut ſervet eos a malo, mundo ſcilicet in maligno poſito, ſingulariter pro eis rogat *a*): *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est:* qui nempe eis per Evangelium commiſſus fuit, ut annuntiarent omni creaturæ. Quare id, quod ante omnia pro eis orat *b*): *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: ut ſint unum, ſicut et nos*, idem rogat deinde etiam *pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, et ego in te: ut et ipſi in nobis unum ſint: ut credat mundus, quia tu me miſiſti. Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis: ut ſint unum, ſicut et nos unum ſumus. Ego in eis, et tu in me: ut ſint conſummati in unum* per baptiſmum, quo in Chriſto regeneramur in adoptionem filiorum Dei, humanitati autem Chriſti hypoſtatice divinitati unitæ peculiariter per participationem corporis et ſanguinis Chriſti unimur ad beatam immortalitatem in vitam æternam.

Suo loco infra uberius explicatum dabimus myſterium hoc corporis et ſanguinis Domini, cuius primum participes facti ſunt in ultima cœna apoſtoli ſacrificio incruento ante cruentum Chriſti in cruce, qui de ſeipso dixerat *c*): *Ego ſum panis vitæ.* Quia autem murmurabant Judæi, quod dixiſſet:

a) *Jo. XVII.* 17. *b*) *Ib.* 11. *c*) *Ib. VI.* 35.

Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi, hoc eis iterum atque ſignificantius ad id, quod dixerat, panem hunc dare vitam mundo, declarans: *Ego ſum*, inquit *a*), *panis vitæ. Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, et mortui ſunt. Hic est panis de cœlo deſcendens: ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur* morte ſcilicet animæ æterna. Tum iterum de vita æterna corporis in reſurrectione carnis ad beatam immortalitatem *b*): „Qui manducat meam carnem, et bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: et ego reſuſcitabo illum in noviſſimo die. Caro enim mea vere eſt cibus; et ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum ſanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut miſit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipſe vivet propter me.“ Hoc eſt, quod demum rogat in ultima illa ante paſſionem ſuam oratione, paulo poſtquam apoſtolos ſuos corporis et ſanguinis ſui participes reddidiſſet *c*): „Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, et illi ſint mecum: ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi: qui dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Pater iuſte, mundus te non cognovit, ego autem cognovi te: et hi cognoverunt, quia tu me miſiſti. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam: ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, et ego in ipſis.“ Hoc demum fiet, quando Deo ſummo bono fruiti benedicti filii Patris noſtri in cœlis videbimus eum

a) *Jo. VI.* 48. *b*) *Ib.* 55. *c*) *Ib. XVII.*

ſicuti eſt, et revelata facie amabimus eum. Myſterium hoc in loco parallelo nobis alibi pandit idem dilectus Chriſti diſcipulus hiſce verbis *a*): „Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et ſimus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum. Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus: et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut et ille ſanctus eſt." Quæ eſt autem noſtra in hac ſpe ſanctificatio, niſi profectus charitatis noſtræ in hac vita? qua in via ſumus tanquam filii Dei ad patriam noſtram in cœlis, ubi evacuabitur, quod imperfectum eſt in charitate, quæ iuxta apoſtolum *b*) „nunquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt. Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus ſum vir, evacuavi, quæ erant parvuli. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut et cognitus ſum." Eſt hoc myſterium, de quo idem apoſtolus iam prius in eadem epiſtola locutus fuerat in parallelo quoque loco, ultimis illis Chriſti in Oratione ad Patrem

a) *I. Jo. III.* 1. *b*) *I. Cor. XIII.* 8.

ſuum verbis *a*): „Sapientiam autem loquimur inter perfectos; ſapientiam vero non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui destruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante ſæcula in gloriam nostram, quam nemo principum huius ſæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed ſicut ſcriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum."

CHRISTI PASSIO ET MORS.

XXX. Christus Jesus Deus et homo, qui se oratione ultima ante passionem et mortem ſuam declaravit mediatorem Deum inter et homines, talem se exhibiturus per passionem ſuam, dum humiliavit ſemetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis, ſemper tamen in hoc ſtupendæ humiliationis ſtatu Deum se ſimul et hominem commonstravit: undique resplendente divina Evangelii Christi Verbi incarnati œconomia. Ubi vero ante omnia id est animadvertendum, omnes quatuor Evangelistas prolixos quam maxime esse in historia passionis ac mortis Christi in cruce, uti etiam deinceps apostoli in annunciando Evangelio. Ex quibus D. Paulus I. Cor. I. 23.: *Nos autem*, ſcribit, *prædicamus Christum crucifixum: Judæis qui-*

a) *I. Cor. II. 6.*

dem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, et Dei ſapientiam. Quibus nimirum datum eſt, *ut poſſint* magnitudinem bonitatis Dei, ac ſublimitatem Chriſti in maxima humilitate (dum *humiliavit ſemetipſum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*) *comprehendere* iuxta eundem apoſtolum Eph. III. 18. *cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, et longitudo, et ſublimitas et profundum. Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*, qua maiorem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis.

Abſoluta igitur oratione narrat S. Joannes *a*), egreſſum Jeſum trans torrentem Cedron cum diſcipulis ſuis, ubi erat hortus, prætentis iis, quæ reliqui Evangeliſtæ de agonia Chriſti perhibent, quippe cui propoſitum erat, uti initio ſtatim notavimus, contra hæreticos Judaizantes divinitatem Chriſti, œconomiam nempe divinam Verbi incarnati repræſentare *b*), *Jeſus itaque*, inquit, *ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum*, proceſſit, eum nobis omniſcium, rerumque futurarum omnium præſcium ſiſtens, prout ipſum proxime ante hanc orationem diſcipulis prædixiſſe idem memorat, quod mox in horto factum fuit. Diſerte etiam præ cæteris S. Joannes in cœna proditionem Judæ enarrat, a Chriſto ſibi ſuper pectus eius recumbenti ſingulariter manifeſtatam. Ipſe porro Joannes cum Petro miſſus fuerat in civitatem ad pa-

a) *Jo. XVIII.* 1. *b*) *Ib.* 4.

randum paſcha præclaro haud minus divinitatis ſuæ argumento, quam cum duos itidem diſcipulos miſit in caſtellum ad ſolvendum adducendumque ſibi pullum aſinæ *a*).

Idem S. Joannes *b*), qui introduxerat Petrum in atrium pontificis, teſtis erat vaticinii de negatione Petri, et proditionis Judæ in horto. Ubi idem S. Joannes *c*) Chriſtum Deum Jehova nobis ſiſtit, prout iam non ſemel notavimus. Dum nempe miſſam ad eum capiendum cohortem, et a pontificibus et Phariſæis miniſtros interrogat, quem quærerent? *Ut dixit eis d*): EGO SUM, Dei Jehova nomine proſtrati, *abierunt retrorſum, et ceciderunt in terram.* In eo etiam, quod ſequitur, divini a Patre mandati ſe potentia oſtendit, dum iterum *interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jeſum Nazarenum. Reſpondit Jeſus: Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire. Ut impleretur ſermo, quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Sunt vero hæc verba ex Chriſti oratione ad Patrem apud eundem *e*), ex qua mox quædam attulimus. Ipſe vero Chriſtus tradidit ſe, *quia ipſe voluit*, qui Petrum iubens gladium mittere in vaginam dixit *f*): *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Addit Matthæus huic Chriſti ad Petrum ſermoni *g*): *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, et*

a) *Matth.* XXI. 1. *Marc.* XI. 1. *Luc.* XIX. 30.
b) *Jo.* XVIII. 16. *c*) *Ib.* 3. *d*) *Ib.* 6. *e*) *Ib.* XVII. 12.
f) *Ib.* XVIII. 11. *g*) *Matth.* XXVI. 53.

exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri? a) Idem debitum ſibi unigenito Filio Dei angelorum miniſterium ſpectant, quæ Chriſtus reſpondit Pilato interroganti, an eſſet rex Judæorum *b*)? „Reſpondit Jeſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit itaque illi Pilatus: Ergo rex es tu? Reſpondit Jeſus: Tu dicis, quia rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, et ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati: Omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam."

Etſi vero Pilatus *ex veritate* non eſſet, nec *quid eſt veritas*, audire abiens vellet, conſtanter tamen huic inhæſit de Chriſto rege veritati. Et dum Judæi alterum caput accuſationis arriperent dicentes *c*): *Nos legem habemus, et ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit. Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit:* neque vero hic a veritate alienus erat Pilatus ſicut princeps ſacerdotum, Chriſtum aſſeverans blaſphemare, ipſe blaſphemus, adiurans illum per Deum vivum, *ut*, ait *d*), *dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei. Dicit illi Jeſus: Tu dixiſti*, quæ eſt affirmantis vox; unde et addit: *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, et*

a) *Iſa.* LIII. 10. *b*) *Jo.* XVIII. 36. *c*) *Ib.* XIX. 17.
d) *Matth.* XXVI. 63.

venientem in nubibus cæli. Sic etiam Judæi blasphemantes insultabant Christo iam in cruce pendenti *a*), *moventes capita ſua et dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, et in triduo illud reædificas: ſalva temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce,* dum econtra *b*) *Centurio, et qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu, et his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Vere Filius Dei erat iſte.* Ex Gentilium nimirum numero erant hi milites prætoriæ cohortis, ad quos transferendum iam erat regnum Dei, ablatum filiis regni Judæis, deſtructo, et in perpetua ruina manſuro templo illo, de quo et Chriſtum in cruce iterum blaſphemabant, cum iam ſugillaſſent exordientem munus prædicationis ſuæ, dum vendentes et ementes ex templo expellit *c*); Judæi autem ſignum ab eo peterent, quia hæc faceret; ad quod reſpondebat ille: *ſolvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta et ſex annis ædificatum eſt templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* Fecit utrumque Chriſtus, et templum corporis ſui poſt tres dies reſurgendo excitavit; et Judæorum templum poſt quadraginta annos deſtruxit. Decurrunt quadraginta hi anni a primo prædicationis Chriſti anno, ut adeo et hic illud pſalmiſtæ locum habeat: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi: ſemper hi errant corde; ipſi vero non cognoverunt vias meas, quibus iuravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.*

a) *Matth. XXVII.* 39. *b*) *Ib.* 54. *c*) *Jo. II.* 14.

CHRISTI POST PASSIONEM ET MORTEM SUAM RESURRECTIO; ET ASCENSIO IN COELUM.

XXXI. Marci XV. 39. de centurione, de quo modo locuti ſumus, dicitur: *Videns autem centurio, qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans exſpiraſſet, ait: Vere hic homo Filius Dei erat;* rem quippe ſupra naturam eſſe intellexit, ſic clamantem hominem animam reddere. Ipſe nimirum, qui oblatus eſt, quia ipſe voluit, ſic etiam expoſuit animam, tradens Patri cœleſti ſpiritum *a*), *clamans voce magna: Pater, in manus tuas comendo ſpiritum meum. Et hæc dicens, exſpiravit.* Ut homo volens, dum vivit, ſpirat, ſic Chriſtus, dum mori vult, exſpirat. Matthæus perinde ac Lucas dicunt, *voce magna* clamantem reddidiſſe ſpiritum. Mox ſubdit ille *b*): „Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum: et terra mota eſt, et petræ ſciſſæ ſunt: et monumenta aperta ſunt: et multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam civitatem, et apparuerunt multis;" poſt reſurrectionem Chriſti nimirum, ad quam iuxta eundem *c*) „Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cœlo: et accedens revolvit lapidem, et ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur: et veſtimentum eius ſicut nix. Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, et facti ſunt velut mortui." Admirabilis ſane et ſtupendus cum terræ motu mag-

a) *Luc. XXIII. 46.* *b*) *Matth. XXVII. 51.* *c*) *Ib. XXVIII. 2.*

no humanis oculis ac imaginatione ſeſe repræsentat aspectus ac ſessio angeli fulgidi ſuper lapidem ſepulchri. Quem aspectum ferre non potuerunt custodes exterriti præ timore; hunc vero mulieribus affatus tollit angelorum, quos illis apparuisse omnes Evangelistæ testantur; apud Lucam vero memorantur *a*) *mulieres quædam*, quæ, ut loquuntur duo discipuli euntes in Emaus, *ex nostris terruerunt nos*, *quæ ante lucem fuerunt ad monumentum*, *et non invento corpore eius venerunt dicentes*, *se etiam visionem angelorum vidisse*, *qui dicunt eum vivere.* Ex his mulieribus erat prior Maria Magdalene, cui Christus ipse primus apparuit, eamque cum læto illo, omnem ſpem humanam ſuperante, ſemper præ oculis mentis habendo, unice ſalutari nuncio, quod est divinæ Evangelii Christi Verbi incarnati œconomiæ complementum, mittit ad fratres ſuos, quos in apostolis divino hoc nomine, omnes ſuæ redemtionis participes compellat. *Qui enim ſanctificat*, *et ſanctificantur*, *ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare b*); ut cum unigenito Filio filii Dei nominemur et ſimus, fratres Christi: qui naturam nostram in unionem hypostaticam divinitatis ſuæ assumens, quam D. Paulus l. c. prosequitur divinam Evangelii Christi Verbi incarnati œconomiam consummavit in cruce mortuus, atque a mortuis resurgens nomen Patris ſui cœlestis fratribus ſuis se denuntiaturum iam per Psalmistam prænuntiavit, dicens, ut ab apostolo notatur c), *Nunciabo nomen tuum fratribus meis:*

a) *Luc. XXIV.* 22. *b*) *Hebr. II.* 11. *c*) *Ps. XVII.* 13.

in medio Eccleſiæ laudabo te. Et iterum *a*): „Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicaverunt carni, et ſanguini, et ipſe ſimiliter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum: et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.“ Quanta vero quam immenſa ac inenarrabili quæſo dignatione hoc factum est ſolo Deo digna, *ut* in libertatem vindicati, facti conſortes divinæ in Verbo incarnato naturæ *b*) *adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem: Abba, Pater.* Hoc igitur primum est, quod Christus ex mortuis reſurgens per Mariam Magdalenam, cui primæ ad ſepulchrum currenti primo apparuit, denunciare nobis voluit in apostolis, non ſolum fratres ſalutans, verum etiam communem Patrem, et Deum ſuum et nostrum declarans, per adoptionem ſcilicet filiorum Dei; qua hæredes ſcribimur regni Christi in cœlis: quorſum ſe Christus aſcendere annuntiat ad Patrem ſuum, et Patrem nostrum, Deum ſuum, et Deum nostrum, manifeſto ſimul testimonio *c*), *Quod ſumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, juxta apostolum: quod idem alibi de Eccleſia Christi ex gentibus testatus: *Gentes eſſe*, inquit *d*), *cohæredes et concorporales, et comparticipes promiſſionis eius in Christo Jeſu per Evangelium*, cuius divinam

a) *Iſa.* VIII. 18. *b*) *Gal.* IV. 5. *c*) *Rom.* VIII. 16. *d*) *Eph.* III. 6.

hanc œconomiam nobis, omnem ſenſum omneque deſiderium exſuperantibus (ut iam ſupra etiam attigimus, et ſuo loco uberius dilucidabimus) in apoſtolis per M. Magdalenam Chriſtus denuntiavit verbis: *Vade*, ait *a*), *ad fratres meos, et dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, et Patrem veſtrum: Deum meum, et Deum veſtrum.* Quod vero diffiderent apoſtoli muliebri forte phantaſiæ, id ipſum ad rei firmamentum facit, ne ex condicto res acta ad fallendum videri poſſet; cum palam hinc ſit, apoſtolis memoria haud hæſiſſe, quod illis ſæpius cum paſſione et morte ſua etiam reſurrectionem prædixit; quando necdum redemtionis ac reſurrectionis claram rectamque ideam habebant, quæve paſſione ac morte Chriſti funeſta magis confundebatur *b*); unde et Chriſtus diſcipulos illos duos, qui ei in via occurrenti ſpem, quam habebant, ſed eo ſic iam mortuo remiſerant animo, *quia ipſe eſſet redempturus Iſrael c*), aperuerunt, redarguit: *O ſtulti*, inquit, *et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, et ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens a Moyſe, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Incipiens a Moyſe* dicit Evangeliſta, prout etiam Nicodemo dixerat Chriſtus, *ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis;* in cruce nimirum, cuius ſcandalum ceſſabat, quando hæc Chriſtum pati debere prædictum eſſe

a) *Jo* XX 17. *b*) *Matth.* XVII. 21. XX. 18. *Marc.* IX. 30. *Luc.* IX. 44. *c*) *Ib.* XXIV. 21.

constabat a prophetis, quorum instar omnium esse potest Pſalmiſta, atque apud hunc ipſum pſalmus XXI. *Deus, Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquisti?* Quæ fuerunt ipſa propemodum verba extremum iam ſpiritum ducentis in cruce. Deinceps vero in hoc pſalmo Christus iam ab utero matris ſuæ *tanquam vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis* ſiſtitur: *omnes videntes me*, ſequitur, *deriſerunt me, locuti ſunt labiis et moverunt caput;* præſertim autem in eius paſſione, quam primum *tribulatio proxima* eſſe cœpit: quando in horto *circumdederunt* eum *vituli multi, et tauri pingues obſederunt* eum in ſynedrio, in prætorio, et foras adductum a Pilato ad populi conſpectum, *aperueruntque ſuper* eum *os ſuum ſicut leo rapiens et rugiens;* dum iam *ſicut aqua effuſus eſt, et diſperſa ſunt omnia oſſa* eius, vulnerato toto corpore, ſanguineque perfuſo quando inde ab agonia in horto *factum eſt cor eius tanquam cera liqueſcens in medio ventris* ſui: *aruit, tanquam teſta virtus* eius, *et lingua* eius *adhæſit faucibus* ſuis, *et in pulverem mortis* deductus eſt, in montem Calvariæ, una omnium voce damnatus ad mortem: *quoniam circumdederunt* eum *canes multi: concilium malignantium obſedit* eum. *Foderunt manus* eius, et *pedes* eius extendentes et ſuſpendentes in cruce, ut potuerint *numerari omnia oſſa* eius. *Ipſi vero conſideraverunt, et inſpexerunt* eum illudentes et improperantes: *et diviſerunt ſibi* milites *veſtimenta* ſua, *ſuper veſtem* eius *mittentes ſortem.* Jam vero, *Tu autem Domine*, clamans,

fundensque *preces a)*, *ſupplicationesque ad eum*, *qui poſſit illum ſalvum facere de morte*, *cum clamore valido* exſpirans, *et lacrymis offerens* ſe Patri ſuo in cruce victimam, *exauditus eſt pro ſua reverentia*, ne videret corruptionem, reſurrectionem ſuam a mortuis fratribus ſuis, incomparabilibus, quæ modo commemoravi, verbis nuntiavit, quos in univerſum mundum miſit, ut in medio Eccleſiæ laudarent Patrem ſuum, et Patrem noſtrum, Deum ſuum, et Deum noſtrum *in Eccleſia magna* catholica, quam vero, deinceps in hoc et aliis pſalmis, uti cæteris prophetis omnibus concelebratam, necdum Judæi velamen ſuper faciem habentes vident: uti nec crediderunt, quando omnia in Chriſto a prophetis et a Chriſto ipſo eius paſſio, mors, et reſurrectio præſertim prædicta, completa fuerunt nec ipſi ſtatim diſcipuli, *ſtulti et tardi*, quos modo notavimus, *ad credendum in omnibus*, *quæ locuti ſunt prophetæ*. Sic etiam in ultima ante aſcenſionem ſuam in cœlum apparitione, Marcus memorat *b)*, Chriſtum increpaſse incredulitatem eorum et duritiam cordis: *quia iis*, *qui viderant eum reſurrexiſſe*, *non crediderunt*, veluti Joannes *c)* hic imprimis Thomam notat nolentem credere, *niſi viderit in manibus eius fixuram clavorum etc.* S. Lucas memorat *d)*, dum ſtaret Chriſtus in medio eorum, et diceret: *Pax vobis: ego ſum*, *nolite timere*, conturbatos eos et conterritos exiſtimaſſe, ſe ſpiritum videre: Chriſtum vero oſtendiſſe eis manus et

a) Hebr. V. 7. *b) Marc. XVI. 14.* *c) Jo. XXI. 25.* *d) Luc. XXIV. 37.*

pedes; adhuc autem illis non credentibus et mirantibus præ gaudio, manducaſſe coram eis, reliquiasque eis dediſſe, ultimo demum aperuiſſe illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas, et dixiſſe eis: „Quoniam ſic ſcriptum est, et ſic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine eius pœnitentiam, et remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus a Jerosolyma. Vos autem testes estis horum.“ Illi nimirum, quibus incredulitatem et duritiam cordis exprobraverat, quia iis, qui viderant Christum resurrexiſſe, non crediderunt: qui primum etiam, dum eis apparet, tam difficulter ad credendum induci potuerunt. Quos demum postquam ſedere iuſſit *a*), quoadusque induerentur virtute ex alto promiſſo Patris ſui ſpiritu, „Eduxit eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus ſuis benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, receſſit ab eis: et ferebatur in cœlum. Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Jeruſalem cum gaudio magno: et erant ſemper in templo, laudantes, et benedicentes Deum. Amen.“ Quot et quanta quæso ad firmandam resurrectionis fidem documenta! Tot porro divinæ Evangelii Christi Verbi incarnati œconomiæ argumenta.

a) *Luc. XXIV.* 49.

DIVINA EVANGELII CHRISTI IN SUIS APOSTOLIS OECONOMIA.

XXXII. Quæ hic de Ascensione Christi in cœlum ac Spiritus Sancti in Apostolos effusione paucis dicit, pluribus in exordio Actuum Apostolorum prosequitur *a*) idem S. Lucas; imprimis vero, quomodo *b*) *repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Stupentibus autem omnibus, et mirantibus ſtans Petrus divinam Evangelii Christi œconomiam explicans, „Viri, inquit *c*), Israelitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, ſicut et vos ſcitis: hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis: quem Deus ſuscitavit, ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.“ Priorem ſermonis partem quod attinet, quomodo in tanta frequentia hominum, ac concursu populorum in urbe regia Judææ de rebus, quæ eodem tempore contigerant, ſigna et prodigia tam ſtupenda omnium attentionem admirationemque post se trahentia commemorare potuisset, nisi revera contigissent? Vix quinquaginta dies a morte Christi præterierant, qui tot, et tanta omnis generis miracula patrarat in Jerosolymitana ipsa urbe ac Judaica regione. Aderant innumeri testes, ipsique illi, qui mortui

a) *Act. I.* *b*) *Ib. II. 4.* *c*) *Ib. 22.*

ſuerant, erant vivi, cæci videntes, claudi ambulantes, leproſi mundati, ægroti ſani etc. Quod niſi ita se habuisset, quomodo ad hæc mira in publica concione provocare potuisset Petrus? Quid vero quod ipsa ſermonis occasio erat novum ab ipso Petro et Joanne Christi Jesu discipulis, atque in eius nomine patratum miraculum, quo firmabantur, quæcunque hi et alii ſocii discipuli Domini de magistro ſuo aut dicebant, aut ſcribebant. Quæ autem posterius de Christi resurrectione retulit Petrus, quomodo voluisse censendus est rem enarrare, in qua ipse se cum ſuis ſociis falsum et deceptum ſpe ſua, et exspectatione deprehendisset? Et ſiquidem id forte quis fieri potuisse tunc existimet, cum applausu populari gauderent *habentes gratiam ad omnem plebem a)*; quid vero, dum mox *b) loquentibus illis ad populum ſupervenerunt ſacerdotes, et magistratus templi, et Sadducæi, dolentes, quod docerent populum, et annuntiarent in Jesu resurrectionem a mortuis, et iniecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum*; dumque eos coram ſtatuunt in medio quærentes in qua virtute ipsi claudo integritatem membrorum restituissent? c) „Tunc repletus Spiritu ſancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, et ſeniores audite: Si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste ſalvus factus est, notum ſit omnibus vobis, et omni plebi Israel: quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus ſuscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis ſanus." Præsens igitur adstabat, qui fuerat

a) *Act. II.* 47. b) *Ib. IV.* 1. c) *Ib.* 8.

ex utero matris ſuæ claudus, testis omni exceptione maior miraculi, quod in conſpectu totius populi die præterita factum fuerat ad portam templi, *quæ dicitur Speciosa, ad quam quotidie portabatur, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus templum a).* Ut vero ibi agnoscebatur ab omnibus esse idem, qui fuerat claudus; ſic etiam ipsum ſynedrium, hominem eundem videntes ſtantem cum eis, qui curatus fuerat, *nihil poterant contradicere b).* Quo vero uno non ſolum Christi resurrectio, ſed etiam totius evangelicæ historiæ veritas invicte demonstratur, quæ ita a primo Incarnationis momento usque ad ascenſionem in cœlos ſibi cohæret, ut aut toti ſua fides constet, aut tota neganda atque inter commenta referenda, aut impostura vel fabula habenda; quæ vero in tanta rerum tam mirarum ac publicarum ſerie, multitudine ac multiplicitate quomodo agi potuisset, aut publicari a tot perſonis ſibi in conspiratione consentientibus, ac concordibus? tum vero palam etiam litteris mandari eo ipso, quo res contigerunt tempore, quibus ubique contradicebatur, ibique maxime vulgabantur, agebanturque ab hominibus plebeis, ſimplicibus, rudibus et illiteratis, quales esse apostolos ipsi recognoscunt *Annas princeps ſacerdotum, et Caiphas, et Joannes, et Alexander et quotquot erant de genere ſacerdotali c)*, quos memorat Lucas in iudicium vocasse atque ad ſuum tribunal Petrum et Joannem, qui miraculi auctores fuerunt: *Videntes autem Petri constantiam, et Joannis, comperto quod homines essent ſine literis, et idiotæ, admirabantur,*

a) *Act. III.* b) *Ib. IV.* 14. c) *Ib.* 6.

et cognoscebant eos, *quia cum Jesu fuerant.* Quinimo nec quidem non confiteri potuerunt rei veritatem, dum remotis apostolis conferrent inter se *dicentes a)*: *Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum ſignum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem: manifestum est, non possumus negare*, frustra comminati, *ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum* dum, ut antea *virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis D. N. J. C.* deinceps cæsi etiam *ibant gaudentes a conspectu concilii*, *quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jesu contumeliam pati*, non ſolum Hierosolymis aut in Judæa, ſed per universum mundum intrepidi per tormenta, per mortes: qui profecto nec ipsi ita desipere potuissent, nec alios decipere, si Christus non vere resurrexisset. „Tria ſunt incredibilia (ut cum S. Augustino *b)* concludam) quæ tamen facta ſunt. Incredibile est Christum resurrexisse in carne, et in cœlum ascendisse cum carne: incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse: incredibile est homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, et in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti, cum quibus agimus, credere, ſecundum coguntur et cernere; quod non inveniunt, unde ſit factum, si non credunt tertium. Resurrectio certe Christi, et in cœlum cum carne, in qua resurrexit, ascensio, toto iam mundo prædicatur et creditur: si credibilis non est, unde toto terrarum orbe iam credita est? Si multi nobi-

a) *Act. IV.* 16. *b*) *Lib. II. de civit. Dei. c.* 5.

les, ſublimes, docti eam se vidisse dixerunt, et quod viderunt, diffamare curarunt, eis mundum credidisse non mirum est; ſed istos adhuc credere nolle perdurum est: si autem, ut verum est, paucis, obscuris, minimis, indoctis eam se vidisse dicentibus et ſcribentibus credidit mundus; cur pauci obstinatissimi, qui remanserunt, ipsi mundo iam credenti adhuc usque non credunt? qui propterea numero exiguo ignobilium, infimorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemtibilibus testibus multo mirabilius divinitas ſeipsa persuasit. Eloquia namque persuadentium, quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba. Qui enim Christum in carne resurrexisse, et cum illa in cœlum ascendisse non viderant, id se vidisse narrantibus, non loquentibus tantum, ſed etiam mirifica facientibus ſigna credebant. Si vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem, et ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod eam terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit."

DE SUBLIMI IN EVANGELIO CHRISTI CAPITA SELECTA.

Digitized by Google

Quando quidem divinorum eloquiorum natura in paucis verbis multas ſententiarum affert divitias, et ineffabilem diligenter ſcrutari volentibus theſaurum largitur; proinde obſecro ne quid in ſacris literis perfunctorie aut obiter prætereatur, ſed etiamſi nomina recenſeantur vel hiſtoriæ narrentur reconditum inveſtigemus theſaurum. Nam ideo Chriſtus dicebat: *ſcrutamini ſcripturas.* Quia non ubique in ſuperficie mens ſcripturæ invenitur, ſed opus eſt ſcrutinio multo ut nihil in profundo latens, nobis remaneat abſconditum etc.

S. Jo. Chryſoſt. Hom. XXIV. in Genes.
T. IV. p. 216. D.

CAPUT I.

VERBI DIVINITAS.

In principio *erat Verbum*, et *Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt. Joan. I. 1.

Suapte ſe manifeſtat ſublime illud, atque diſtantia infinita et diverſitas, quæ eſt inter Moyſis verba Gen. I. 1: *In principio creavit Deus cælum, et terram*, et hæc S. Joannis: *In principio erat Verbum*, quibus æternitatem, atque adeo divinitatem Verbi uno verbo declarat. „Hoc eſt, ut rem nobis ob oculos ponit S. Ambroſius *a*): Cœlum nondum erat, quando in principio erat Verbum. Nam etſi cœlum habet princi-

Caput I.

Comparantur verba Moyſis Gen. I.

a) *L. De Incarnat. Dom. Sacramento C. III. n.* 16. *T. II. p.* 707.

Caput I. pium, Deus non habet. Denique *in principio creavit Deus cælum, et terram.* Aliud est, *fecit:* Aliud est, *erat.* Quod fit, incipit: Quod erat, principium non accipit, ſed prævenit. Remaneant etiam tempora, quia post cœlum tempora. Remaneant etiam Angeli, et Archangeli; etsi principium eorum non invenio, erat tamen, quando non erant.“ Et alibi *a*), quæ mox ſequuntur apud Joannem, idem S. Pater complexus, hæreticos Christi Divinitatem negantes incessens, „Erat, erat, erat, erat, ait, Ecce quater erat! ubi impius invenit, quod non erat.“ S. Hilarius *b*), „Transeuntur tempora, inquit, transscenduntur ſæcula, tolluntur ætates: pone aliquid, quod voles tuæ opinionis principium, verbum iam erat, unde tractatur. Respice ad mundum, intellige, quid de eo ſcriptum est: *In principio creavit Deus cælum et terram.* Fit ergo in principio, quod creatur, et ætate contines, quod in principio continetur, ut fieret. Meus autem piscator illiteratus, indoctus, liber a tempore, ſolutus a ſæculis, vicit omne principium, erat enim, quod est.“

ὁ λόγος verbum divinum Filius Dei per quem omnia facta ſunt.

Multo amplior est græcæ vocis, qua usus est S. Evangelista, notio, λόγος, qua etiam antiquissimi ſophi in divinis ſunt usi:

a) *L. I. de fide c.* 5.
b) *L. II. de Trinit. n.* 13. *p.* 795.

„Melius, inquit Lactantius *a*), Græci λόγον dicunt, quam nos verbum, ſive ſermonem: λόγος enim et ſermonem ſignificat, et rationem, quia ille est et vox, et ſapientia Dei. Hunc ſermonem divinum nec Philoſophi ignorarunt etc.“ Platonicos indigitat, quos hodieque ſunt, qui infuscasse theologiam christianam antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus demonstrandum ſibi ſumpſerunt. Hos inter Laur. Moshemium, *de turbata per Platonicos Eccleſia* diſſerentem perstringit monachus ex Congr. S. Mauri P. II. præfat. in Opera S. Justini M. cui ostendit perperam affingi Platonicam notionem τȣ λογȣ. Quod etiam de Athenagora valet, qui Justinum ſequitur in hac re in ſua apologia ex S. Joanne: uti etiam Clemens Alex. et Origenes, et ex latinis apologistis primus Tertullianus ſunt uſi hac voce, quam aliis viſus est S. Joannes Gnosticis ex diſciplina Simonis magi (qui ſe magnam Dei virtutem ἐνεργειαν dicebat, λόγον ἀνυπόϛατον) extricaviſſe, ut ex S. Irenæo *b*) iam notavimus, innuitque S. Hilarius *c*): „Res, inquit, existit in verbo, verbi res enuntiatur in nomine. Verbi enim appellatio in Dei

CAPUT I.

a) *Instit. div. lib. IV. cap.* 9.

b) *Lib. III. contra bæreses cap.* 11. *p.* 188. *ut* ſupra in divina Evangelii Christi Verbi incarnati Oeconomia *n. II. retulimus.*

c) *L. c. L. VII. n.* 11. *p.* 921.

Caput I. Filio de Sacramento nativitatis eſt, ſicut ſapientiæ, et virtutis eſt nomen." S. Irenæus vero, poſtquam ex tribus Evangeliſtis Patrem et Filium verum Deum demonſtraſſet, eundem ex S. Joanne oſtenſurus, „quoniam, infit *a*), unus Deus, qui omnia fecit per verbum ſuum, et non quemadmodum illi dicunt, alterum quidem fabricatorem, alium autem Patrem Domini etc. ſecundum autem quosdam Gnoſticorum ab angelis factus eſt mundus, et non per verbum Dei:" Verbum nimirum hypoſtaticum-ſubſtantiale, quale nobis ſiſtit S. Irenæus *b*) *In principio verbum exiſtens apud Deum:* ubique habet textus græcus λόγος.

Quandoque, ob vim nominis, græco vocabulo ὁ λόγος primi SS. Patres etiam latini uſi fuere; putat tamen S. Thomas *c*) in hunc locum, quo per ipſum facta eſſe omnia dicuntur, melius dici verbum, „quod importat, ut ait, reſpectum ad exteriora, quam ratio, quæ tantum conceptum mentis inſinuat;" ſed utrumque ſignificat ὁ λόγος. Nec videtur Jo. Lightfoto in horis Thalmudicis in h. l. curioſius inquirendum, unde Evangeliſta petierit hunc titulum, quo unigenitus Dei Filius Verbum appellatur, cum toties repetatur in hiſtoria creationis ויאמר אלהים *et dixit Deus.* Rem ad

a) *l. c.* *b*) *p.* 209. *c*) *T. III. opp. p.* 397.

captum, conceptumque humanum paucis explicat S. Theophilus Antioch. Episc. Sæc. II. ad Autolicum *a)* quoad generationem Verbi æternam, et rerum per Verbum creationem. *In principio erat Verbum.* „ Quibus verbis, inquit, oſtendit initio ſolum fuiſſe Deum, et in eo Verbum, tum addit: *Et Deus erat Verbum, omnia per ipſum facta ſunt, et ſine ipſo factum est nihil.* Verbum igitur cum Deus ſit, et ex Deo genitum, illud Pater univerſorum, cum ita viſum fuerit, mittit in aliquem locum, quo cum venerit, auditur, et videtur miſsum ab eo, et in loco invenitur." Et S. Irenæus *b)*: „ Si autem credat quis unum Deum, et qui verbo omnia fecit, quemadmodum et Moyſes ait: *Dixit Deus, fiat lux, et facta est lux,* in Evangelio legimus: *omnia per ipſum facta ſunt:* et apoſtolus Paulus ſimiliter: *Unus Dominus, una fides etc.* „ Poſt deinde et omnis ſermo ei conſtabit, ſi et ſcripturas diligenter legerit apud eos, qui in Eccleſia ſunt presbyteri, apud quos est apoſtolica doctrina, quemadmodum demonſtravimus." Hanc apoſtolicæ doctrinæ firmitatem in Eccleſia („ cui, ut L. I. c. 4. n. 1. loquitur, apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives, pleniſſime in eam contulerint omnia, quæ ſunt veritatis: ut omnis, quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ") conſtanter con-

a) L. II. n. 22. p. 365. *b) L. IV. contra hæres. c. 32.*

CAPUT I. tra hæreticos urget S. Martyr, quam vero novatores migrarunt. Ex quibus Centuriatores Magdeburgenses perſtringit P. Maſsuet in Diſſertat. præviis in S. Iren. Diſſert. III. art. 5. vindicatque art. 6. eius doctrinam orthodoxam de verbo divino Filio Dei, *per quem omnia facta ſunt* iuxta initium Evangelii S. Joannis, congruenter iis, quæ Moyses initio Genesis de creatione rerum *in principio* dicit, quando iam *erat Verbum*, atque adeo coæternum Patri et consubſtantiale, utpote ante quamvis rerum creatarum ſubſtantiam existens. Theodoretus Interrog. IX. in Genesin, „cuinam dixit Deus *fiat lux*, *et fiat firmamentum?* Sic respondet ad rem: Non præcepit Deus alteri cuidam creare: ſed quæ non ſunt, vocat, ita ut hic præceptum ſit ipsa voluntas.“ Omnia enim, ait, quæcunque voluit Deus, fecit. „Quodsi creando voce quadam usus est, certum est, hoc non elementorum inanimatorum causa, ſed invisibilium virtutum gratia factum esse, ut ſciant, quod ipso iubente, ea, quæ non ſunt, ſubsiſtunt.“

A Longino notatus locus. Est hoc τὸ ὕψος, τὸ Θεῖον ſublime, ac divinum illud, quod in verbis Moysis ſcriptor ethnicus Dionysius Longinus animadvertit in libro περὶ ὕψους *de Sublimi* cap. 9. aliis 7. ubi postquam ridicule ſane Deos nobis giganteos ſtitisset, ad Moysen vero

delapſus, „ſic, ait, et Judæorum legislator, vir non vulgaris, quandoquidem numinis potentiam pro dignitate notam fecit, declaravitque ſtatim initio proœmii legum ſuarum ſcribens: *Dixit Deus*, inquit, *quid? Fiat lux, et facta est: fiat terra, et facta est.*" Qui ſublimitatem in hoc loco desiderarunt, eoquod nihil ſublime in verbis ſibi animadvertere visi ſunt, ſaltem ad thema, ſeu argumentum, in quo verſatur ibi Longinus attendere debuissent, quod est περὶ νοήσεως, ſeu quod est τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον, vel μεγαλόφρον magnum, ſeu ſublime in ipſa mente, ſeu cogitatione. Id quod et lectores nostri in præſenti tractatione præ oculis habeant. Sed τὸ ὕψος quod est in mente divina, ex qua prodiit verbum divinum, quod erat in principio ex Deo natus ab æterno ante omnia tempora unigenitus Filius Dei, quis edicet? *Generationem eius quis enarrabit a)?* Generationem, inquam, qua ab æterno genitus Dei Filius unus est cum Patre Deus. CAPUT I.

Extra ſe rapitur humana mens, dum cogitatione ſua, quantavis animi contentione perſequi geſtit ens initio carens, ab æterno, a ſe existens, et in ſe ipſo, in ipſa ſua ſubſtantia rationem ſuæ existentiæ habens: ens neceſſarium, a quo entia con-

a) *Is. LIII.* 8.

Caput II. tingentia, quibus conſtat rerum creatarum univerſitas. Utrumque vero admirabili ſimplicitate ob oculos ponitur alterum a S. Joanne, Ens nimirum, quod ſemper fuit, *In principio erat etc.* alterum a Moyse: *In principio creavit etc.* Nec poteſt inſipiens, quocumque ſe vertat, qui dicit in corde ſuo non est Deus, ens aliquod a ſe, a quo alia omnia, non agnoſcere: ut facilius homo ſe a parentibus ſuis editum in hunc mundum inficiari poſſit, quam mundum per ſemet ab æterno extitiſse manifeſta contradictione, et confuſione entis neceſsarii et contingentis, finiti et infiniti, abſurdiſſimo proceſſu in infinitum: in quo quis dicat? an v. g. gallina prior, quæ parit ovum, an ovum, ex quo gallina excluditur.

CAPUT II.

ADOPTIO FILIORUM DEI.

Quotquot autem receperunt eum, *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Jo. I.

S. Joannes aquila. Sed quid nunc nobis cum Longino de luce, quæ facta eſt, quando divinus Joannes lucem illam pandit, Verbum divinum nempe *λόγον*, per quem facta ſunt omnia? S. Irenæus, et poſt eum SS. Patres cæteri,

quando nobis in quatuor animalibus Apoc. IV. 7. quatuor Evangeliſtas deſcribunt, aquilam, perſpicacem inprimis viſu, cæteriſque alitibus ſublimius volantem, ad unum omnes Joannem interpretantur. „Quartum vero, ſunt verba S. Irenæi *a)*: ſimile aquilæ volantis, ſpiritus in Eccleſiam advolantis gratiam manifeſtans. Et Evangelia igitur his conſonantia, in quibus inſidet Chriſtus Jeſus. Aliud enim illam, quæ eſt a Patre, principalem, et efficabilem, et glorioſam generationem eius enarrat ſic dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Tum: *Et omnia per ipſum facta ſunt, et ſine ipſo factum eſt nihil.* Propter hoc et omni fiducia plenum eſt Evangelium iſtud, talis eſt enim perſona eius.“ CAPUT II.

Tum poſtquam, ut diximus, *quadriforme Evangelium* quatuor Evangeliſtarum explicaſſet S. Irenæus, finiens de S. Joannis Evangelio, „quartum vero, ſubdit *b)*, quod renovat hominem, et recapitulat in ſe omnia, quod eſt per Evangelium, elevans, et pennigerans homines in cæleſte regnum.“ Nempe ut poſtea rem ediſſerit explicatius de Incarnatione Verbi: „Oſtendimus enim, inquit *c)*, quia non tunc cœ- Pandit nobis adoptionem filiorum Dei.

a) *L. III. contra hæreſ. cap. XI. n. 8. p.* 190.
b) *Pag.* 191. *c)* *C. XVIII. n.* 1. *p.* 209.

Caput II. pit Filius Dei, exiſtens ſemper apud Patrem; ſed quando incarnatus eſt, et homo factus, longam hominum expoſitionem in ſeipſo recapitulavit, in compendio nobis ſalutem præſtans, ut quod perdideramus in Adam, id eſt ſecundum imaginem, et ſimilitudinem eſſe Dei, hoc in Chriſto Jeſu reciperemus." Et id quidem cum fœnore miſericordiſſima in nos Dei pietate, ac ſuperabundante gratia in Chriſto, et iuſtitia iuxta Apoſtolum a): *Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia, ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Per adoptionem nimirum in filios Dei, de qua nobis hic S. Joannes teſtatur, et Apoſtolus poſtea b), *quod ſumus filii Dei, ſi autem filii et hæredes etc.* Sic iuxta eundem Apoſtolum c) *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*, de quo mox affatus Epheſios: *Non ceſſo*, ait, *gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis: ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ, et revelationis in agnitione eius: illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius,*

a) *Rom.* V. 20. b) *Ib.* VIII. 10.
c) *Eph.* I. 5.

et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis, hæredibus quidem Dei, cohæredibus autem Christi in ſortem filiorum Dei adoptatis. Caput II.

Quis vero unquam pater filium ſuum unicum ita hæredem inſtituit, ſicut nos Pater noſter cœleſtis, qui ſe ipſum nobis in æterna beatitate dat ſummum bonum pro hæreditate noſtra: qui *videmus* quidem *a*), *per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* iuxta Apoſtolum. Quod nobis ediſſerens S. Joannes, *chariſſimi*, inquit *b*), *nunc filii Dei ſumus, et necdum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Rem nobis idem Apoſtolus in principio ſui Evangelii explicat, quomodo *in ipſo*, Verbo divino, *vita erat, et vita erat lux hominum*, ut nimirum nos in ipſo, qui vita eſt, viveremus, et naturæ lucis huius divinæ participatione ipſi in filios Dei ſublimemur. Explicat quidem deinceps, quomodo lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt, excæcati nempe ad lucem Evangelii: quomodo item *in propria venit, et ſui eum non receperunt* Judæi nimirum, a quibus ideo lux hæc divina ad gentes pervenit: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ἐξȣσίαν habet Evangeliſta, quæ et humanam in

a) *I. Cor. XIII.* 11. *b*) *I. Joan. III.* 2.

CAPUT II.

Chriſto poteſtatem, et in nobis dignitatem denotat, qua ex Deo nati Filii Dei nominemur et ſimus. Tanto hoc ſublimius eſt in Evangelio Chriſti, quantum inter Deum et hominem diſcrimen eſt; inter hominem et Deum læſum, qui hominem induit, ut homines liberet: miſit unigenitum filium ſuum in mundum, ut homines in filios ſuos adoptaret: „Neque enim iam, ait S. Auguſtinus *a*), deſperandum, participatione Verbi fieri poſſe homines filios Dei, quando Filius Dei participatione carnis factus eſt filius hominis.“ Explicat huc S. Cyrillus Alexand. *b*) in hunc Joan. locum illud I. Petri II. „Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes eius annuntietis, qui vos e tenebris vocavit in lucem admirabilem. Cum enim, inquit S. Pater, Filium exceperint per fidem, poteſtatem accipiunt, ut inter filios Dei collocentur. Enimvero dat filius, ut ſint poteſtate id, quod ſibi uni proprie, et ſecundum naturam ineſt, in commune quodammodo proponens in ſignum benignitatis ſuæ in homines, et erga mundum charitatis. Non enim aliter poſſemus corruptionem fugere, qui terreni portamus imaginem, niſi pulchritudo imaginis illius cœleſtis impreſſa nobis eſſet ex eo, quod vocati ſu-

a) *Ep. CXL. n.* 11. *T. II. p.* 426. *b*) *T. IV. p.* 20.

mus ad filiorum Dei adoptionem." S. Gregorius Regulæ paſtoralis P. II. cap. 3. in rectore explicans rem, „quatenus, inquit, nobilitatem ſemper intimæ regenerationis aſpiciat, et cœleſtis regni ſibi habitum moribus defendat. De hac quippe nobilitate ſpiritus per Petrum dicitur: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium.* De hac enim poteſtate, quia vitia ſubigimus, Joannis voce roboramur, qui ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Hanc dignitatem fortitudinis Pſalmiſta conſiderat dicens: *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.*"

CAPUT III.

VERBI INCARNATIO.

Et Verbum caro factum eſt, et habitavit in nobis. Joan. I. 14.

Verbum fit caro, ut filii Dei efficeremur.

„Noli mirari, alloquitur nos S. Auguſtinus *a*), noli mirari, o homo, quia efficeris filius per gratiam, quia naſceris ex Deo ſecundum verbum eius. Prius ipſum Verbum voluit naſci ex homine, ut tu ſecurus

a) *Tract. II. in Joan. n.* 15. *T. III. P. II. p.* 303.

Caput III. naſcereris ex Deo, et diceres tibi: non ſine cauſa Deus naſci ex homine voluit, niſi quia alicuius momenti me exiſtimavit, ut immortalem me faceret; et pro me mortaliter naſceretur. Ideo, cum dixiſſet, *ex Deo nati ſunt:* quaſi ne miraremur, et exhorreſceremus tantam gratiam, ut nobis incredibile videretur; quia homines ex Deo nati ſunt, quaſi ſecurum te faciens ait: *et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Quid ergo miraris, quia homines ex Deo naſcuntur? Attende ipſum Dominum Deum natum ex hominibus," Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. S. J. Chryſoſtomus monet *b*), ut hæc audientes animum erigamus, illud maxime mirati, quod genuinus Filius Dei ſine principio exiſtentis, se filium hominis audire paſſus ſit; ut nos faceret filios Dei. „Neque enim, inquit, fruſtra et incaſſum ſeipſum ita humiliaſſet, niſi nos exaltaturus eſſet. Natus eſt enim ſecundum carnem, ut tu naſcereris ſecundum ſpiritum."

Quare caro factum Verbum dicitur. Non dixit Evangeliſta verbum hominem eſſe factum, ſed carnem, quæ eſt vilior, infirma, et humilis noſtri pars, atque in nobis peccatrix. Verbum divinum infirmitates ſine peccato in ſe ſuſcepit, et nobiſcum in carne abiectus, et humilis,

a) *Hom. II. in Math. n. 2. T. VII. p. 21.*

eſuriens, ſitiens, paſſus, et ignominioſa morte ſublatus eſt: „Ut ſcilicet, planum fieret, ſunt verba S. Athanaſii *a*), omnesque crederemus, eum ipſum, qui ſemper Deus fuit, et eos, ad quos acceſſit, ſanctos effecit, omniaque iuxta Patris voluntatem adminiſtrat, propter nos hominem poſtea factum fuiſſe, atque, ut loquitur Apoſtolus, divinitatem corporaliter in carne habitaſſe: quod idem eſt, ac ſi diceret, cum Deus eſſet, proprium habuit corpus, quo ut inſtrumento utens, homo propter nos factus eſt.“ Hinc, quæ carnis ſunt propria, illi attribuuntur, quia in ea nempe ſubſiſtebat. Hæc ergo in ſe omnia ſuſcepit in carne Salvator noſter, atque etiam Evangeliſta dum Verbum hominem ſuſcepiſſe memorat, carnem factum dicere voluit *a parte affecta potiſſimum animali ſignificato*, cum S. Cyrillo Alex. in h. l. loquor *b*): „Ut una cernerétur vulnus, et remedium: æger, et medicus: quod in mortem prolapſum eſt, et qui excitavit ad vitam: quod corruptioni ceſſit, et qui corruptionem amovet: quod morte ſuperatum eſt, et qui morte ſuperior eſt: quod orbatum eſt vita, et qui vitam largitur. Non autem ait, ad carnem Verbum veniſſe, ſed carnem factum eſſe, ne habitudine ſicut in

a) *Orat. III. Cont. Arian. n.* 31. *T. I. p.* 581.
b) *T. IV. p.* 95.

Caput III. prophetas, aut ſanctos alios ipsum veniſſe ſuſpiceris, ſed revera carnem factum esse, id est, hominem." Breviter S. Augustinus hic Hebraismum notat *a*): „More ſuo, inquit, ſcriptura, ut Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugiſſe videretur, carnem pro homine posuit." S. Thomas h. l. his rationibus addit aliam, cur Evangelista de anima rationali mentionem non fecerit, ſed de carne ſolum, ad demonstrandam nimirum Dei erga nos magnitudinem benignitatis. „Constat, inquit, quod anima rationalis magis conformis est Deo, quam caro; et quidem magnum pietatis ſacramentum fuiſſet, si Verbum assumsiſſet animam humanam, utpote ſibi conformem, ſed assumere etiam carnem elongatam a ſimplicitate ſuæ naturæ fuit multo amplioris, imo inæstimabilis pietatis indicium, ſecundum quod Apostolus dicit I. Timoth. III. 16. *Et manifeste magnum est pietatis ſacramentum, quod manifestatum est in carne.*"

Quidquid ſuperba obganniat ratio.

At vero quo magis commendat charitatem ſuam Deus in nobis per incarnationem Verbi divini, eo protervius exſurgit hic, ſeſeque opponit ſuperba ratio, quam arguit in Platonicis philoſophis S. Augustinus *b*)

a) *Epist.* 140. *n.* 12. *T. II. p.* 420.
b) *Lib. X. de civ. Dei. c.* 29. *T. VII. p.* 265.

christianismum detrectantibus, „quia Christus humiliter venit; et vos ſuperbi eſtis. Narrat ibi quidem quod initium ſancti Evangelii, cui nomen eſt ſecundum Joannem, quidam Platonicus, ſicut a ſancto ſene Simpliciano, qui poſtea Mediolanenſi Eccleſiæ præſedit epiſcopus; ſolebamus audire, aureis literis conſcribendum, et per omnes eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe dicebat.“ Non erat hic ex eorum numero, quos ibi perſtringit S. Doctor inſcripto capite illo *de incarnatione D. N. J. C: quam confiteri Platonicorum erubeſcit impietas.* Haud inepta equidem erant Platonica placita de corrupto humani generis ſtatu, agnitaque quam per metempſychoſin ſibi fingebant, purificationis neceſſitate; „Sed ideo viluit ſuperbis Deus ille magiſter, quia verbum *caro factum eſt, et habitavit in nobis:* ut parum ſit miſeris; quod ægrotant, niſi ſe in ipſa etiam ægritudine extollant, et de medicina, qua ſanari poterant, erubeſcant.“ Ferax imprimis eſt noſtrum hoc ſæculum incredulis eiusmodi in ipſo chriſtiano orbe; quibus religio chriſtiana vel omnino vileſcit, vel retento ſimulacro, divinitatem Chriſti atque adeo incarnationem Verbi divini negant hæreticorum hodie maximus grex, Socinianorum: Fuitque a primordiis Eccleſiæ hæc

CAPUT III. petra ſcandali, in quam tam diverſis modis impegerunt hæretici, ut haud temere dicat S. Fulgentius *a*), omnes hæreſes ad id ætatis a coniunctione duarum naturarum in Chriſto eſſe exortas. Ex antiquiſſimis vero illis hæreticis fuerunt, qui aut divinam in Chriſto negabant naturam, aut humanam, indignum cumprimis rati, quod ita *ſemetipſum exinaniverit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo b*).

Dum econtra nihil in ſcripturis ſublimius atque in religione chriſtiana admirabilius, nihil porro divinius eſt, quam hæc Dei dignatio, ut aſſumendo humanam naturam omnino nobis aſſimilaretur iuxta Apoſtolum *c*): *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Rem vero inſigniter illuſtrat S. Auguſtinus *d*) in celebri ad Voluſianum epiſtola CXXXVII. Quid vero ingratius, quid inhumanius dici poteſt de homine, quam maxima hac Dei erga genus humanum dignatione non tam ſe indignum, quam eam ipſam Deo indignam eſſe aſſerere, *qua ſic dilexit Deus mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret e*), iuxta dilectum Chriſti diſcipulum Joannem. Et alibi:

a) *Lib. ad Traſimundum regem c.* 4.
b) *Philip. II.* 7. *c*) *Hebr. IV.*
d) *T. II. p.* 405. *e*) *Jo. III.* 16.

In hoc, ait *a*), *apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Hoc immenſæ divinæ bonitatis beneficium miseri homunciones perinde quidem ſupra captum noſtrum poſitum, atque non ſolum immerentibus, verum etiam in damnatione mortis poſitis, a benignissimo numine collatum humiliter revereri debemus in Christo ſemetipſum exinaniente ac formam ſervi accipiente, *ut homo divine agere doceretur*, ut Tertullianus loquitur *b*), cum eodem Tertulliano divinitus aſſerta incarnatione haud arroganter perſuaſi, *quod nihil tam Deo dignum quam ſalus hominis:* nihilque veriti cum eodem dicere poſſumus: *Quodcumque Deo indignum eſt, mihi expedit*, ut in libro de carne Chriſti loquitur, ubi ex profeſſo mox in exordio libri demonſtrat incarnationem Verbi divini nec impoſſibilem, nec inconvenientem aut Deo indignam eſſe contra Marcionem, „quod aliter non diceretur, homo Chriſtus ſine carne, nec hominis filius ſine aliquo parente homine, ſicut nec Deus ſine Spiritu Dei, nec Dei Filius ſine Deo Patre. Ita utriuſque ſubſtantia cenſus, hominem et Deum exhibuit: hinc natum, inde non natum: hinc carneum, inde ſpiritalem: hinc infirmum, inde præ-

CAPUT III.

a) *I. Jo. IV. 9.* *b*) *Adv. Marcionem lib. II.*

CAPUT IV.

fortem: hinc morientem, inde viventem, quæ proprietas perſonæ æqua utique naturæ utriusque veritate, eadem fide et ſpiritus, et carnis, virtutes Spiritum Dei, paſſiones carnem hominis probaverunt.“

CAPUT IV.

VERBI INCARNATI GLORIA.

Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ, et veritatis. Joan. I. 14.

Gloria Verbi divini in infirmitate.

Fuit Joannes ex illis tribus Apoſtolis, quibus Chriſtus gloriam ſuam oſtendit transfiguratus in monte; ſed hic generatim loquitur de gloria Chriſti *quaſi unigeniti* inter medias infirmitates, ſtatuque humilitatis eo ſublimius atque glorioſius enitente, veluti eximia in tenebris lux. Gloria hæc Verbo Dei incarnato, atque in nobis habitante iam etiam oculis conſpicua eſt reddita.

Dum equidem in propria venit, ſui tamen eum non receperunt. Venit cum Maria matre in Bethlehem natale Davidis regis ſolum, unde oriturus erat Meſſias, eoque venit ceu ex ſtirpe David oriundus;

at nec locum in diverſorio habere, nec opinionem de ſe facere, quis eſſet, potuit. Judæi præſtolabantur Meſſiam regem regum et dominum dominantium in terris, dum interim ille naſcitur in ſtabulo, dedocturus non ſolum gentem ſuam vanam mundi gloriam, ſed et omnes gentes, quæ eum aliquando reverituræ eſſent, quem gens ſua dedignabatur, verum Meſſiam: quibus ſe iam naſcens, quis eſſet, ſtella demonſtrabat: veniuntque Hieroſolymam eum adoraturi magi, „hoc eſt profeſſi artem contemplativam teſte Philone Judæo ſcriptore *a*) ſuppari, per quam naturales res cernuntur clariores, quam non modo plebs, ſed etiam reges maximi imprimis Perſici ſectantur, qui hanc artem ita admirantur, ut regnare non liceat, niſi magorum antea uſi fuerint contubernio.“ Sed ultra efferenda eſt in magis noſtris cogitatio, ut iam notavimus, notabimusque iterum ſuo loco; dum humi hic ſerpit Philo Judæus, perinde ac contribules ſui dedignati in humili conditione ſua regem ſuum Chriſtum, quam nihil morati, magi adorant in præſepio, edocti per ſtellam ex Jacob; *De Jacob erit, qui dominetur b*): exigua hæc quidem tunc erat ſcintilla *myſterii* Colos. I. 26. *quod abſconditum fuit a ſæculis et generationibus: nunc autem manifeſtum eſt ſanctis eius,*

a) *Pag.* 792. *b*) *Num.* XXIV. 19.

quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus, quod est Christus, in vobis ſpes gloriæ. Magis advenientibus turbatur Herodes *a*) rex, et omnis Hieroſolyma cum illo, frustra timente throno ſuo regio in Judæa, dum a principibus Sacerdotum et Scribis docetur Christum naſciturum in Bethlehem Judæ: quod et factum iam fuerat præconiato rege non humanis ſed angelicis vocibus, facta ſubito *multitudine militiæ cœlestis* cum angelo, qui evangelizaverat pastoribus in regione eadem vigilantibus, et custodientibus vigilias noctis ſuper gregem ſuum, Deique claritate circumfulgente illos, *gaudium magnum quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.*

Quæ unquam gloria humana mundana accedere potuit huic, cœlesti gloria translata in terras, dum cœlorum Dominus naſcitur in ſtabulo? Prægustum gloriæ cœlestis accipiunt homines, ut eis ſordescat omnis mundana gloria cum caducis gaudiis huius vitæ, ubi nil niſi vanitas vanitatum et omnia vanitas, testimonium reddente ſapientiſſimo perinde ac feliciſſimo regum terræ Salomone: cuius etiam nomine ſapiens: *Et ego*, inquit *b*), *natus accepi communem aerem et in ſimiliter factam decidi terram, et primam*

a) *Matth. II. 3.* *b*) *Sap. VII. 3.*

vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. In involumentis nutritus ſum, et curis magnis: nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Sic *homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſeriis a)*, quas etiam noſtri cauſa ſuſcepit Chriſtus Verbum incarnatum, ut tamen in ipſa nativitate cœleſtium gaudiorum eos, qui cum ipſo vana huius vitæ gaudia pompam et gloriam deſpecturi eſſent, redderet certiores *qui inter animalia editus, ab angelis nunciabatur b)*, ut inter alia Hormiſdas P. M. Sæc. VI. quo Rom. Imperium novum ſplendorem accepiſſe viſum eſt, Juſtino Auguſto Imperatori differentiam ob oculos ponit inter gloriam regum terræ, et Chriſti regis cœlorum, quam ab ipſa mox nativitate ſua exhibuerat. „ Nam, ſunt Hormiſdæ P. verba, iacens in præſepio, videbatur in cœlo, involutus pannis, adorabatur a magis, inter animalia editus, ab angelis nuntiabatur, vix egreſſus infantiam, et annuntians myſticam ſine inſtituente doctrinam, inter rudimenta annorum puerilium edens cœleſtia ſigna virtutum, Idem enim Deus et homo, non (ut ab infidelibus dicitur) ſub quartæ introductione perſonæ: ſed ipſe Dei Filius Deus et homo, id eſt, virtus et infirmitas, humilitas et maieſtas, redimens et venditus, in cruce poſitus, et cœli regna largitus; ita noſtræ

a) *Job. XIV. 1.* b) *Apud Labb. T. IV. Conc. p. 1553.*

CAPUT IV. infirmitatis particeps, ut poſſet interimi, ita ingenitæ potentiæ Dominus, ne poſſet morte conſumi: ſepultus eſt, iuxta id, quod homo voluit naſci, et iuxta id, quod Patri erat ſimilis, reſurrexit: patiens vulnerum, et ſalvator ægrorum, unus defunctorum, et vivificator obeuntium: ad inferna deſcendens, et a Patris gremio non recedens: unde et animam, quam pro communi conditione poſuit, pro ſingulari virtute, et admirabili patientia (potentia) mox reſumpſit. " Sic quam admirandum in modum, quando *Verbum caro factum eſt, et habitavit in nobis, vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis!* Quem in locum commentatus Ven. Beda, „Gloriam Chriſti, inquit *a*), quam ante incarnationem videre non poterant homines, per incarnationem viderunt, aſpicientes humanitatem miraculis refulgentem et intelligentes divinitatem intus latitantem, illi maxime, qui eius claritatem ante paſſionem transfigurati in monte ſancto contemplari meruerunt voce delapſa a Deo huiuſcemodi a magnifica gloria: *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* et poſt paſſionem, reſurrectionis, aſcenſionisque ipſius gloria conſpecta, Spiritus eius dono mirifice ſunt refecti, quibus omnibus manifeſte cognoverunt, quod huiusmodi gloria

a) *T. V. p.* 456.

non cuilibet ſanctorum, ſed illi ſoli homini, qui eſſet in divinitate unigenitus a Patre, conveniret."

Manens Verbum incarnatum ſemper, quod erat ab æterno, non potuit occulere radios divinitatis ſuæ, conſpicuamque nobis reddidit *gloriam quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ, et veritatis* in Evangelio gratiæ nos ſanctificantis, *quia de plenitudine eius nos omnes accepimus a*), dum ipſi Dei Patris Filio nihil gloriæ, quam ab æterno habuit, accedere, nihil deperire potuit. Solummodo autem in ipſo ſtatu exinanitionis, ceu contrariis iuxta ſe poſitis, nobis eluxit gloria hæc unigeniti filii Dei in eo etiam, quod exemplum humilitatis tanto maius et excellentius dederit, quo infinitior eſt diſtantia inter Filium Dei, et filium hominis, qualem ſe nobis in terris oſtentavit. „Itane, cum S. Auguſtino *b*) exclamare licet, magnum eſt, eſſe parvum, ut niſi a te, qui tam magnus es, fieret, diſci omnino non poſſet? Ita plane." Quid ſublimius, quid divinius gloria hac quaſi unigeniti Filii Dei, elucente in ipſa eius humilitate, ac infirmitatibus, quas noſtri cauſa in ſe ſuſcepit Verbum incarnatum, quam ſtatus humilitatis nequaquam diminuit, aut obſcuravit, imo conſpicuam nobis reddidit, et

a) *Joan. I.* 16. *b*) *De S. Virg. C.* 15. *T. VI. p.* 358.

Caput IV. auguſtiorem, tantum abest, ut unigenitus Dei Filius factus homo quidquam de ea, quam ab æterno habuit, apud Patrem, gloria amiserit. „ Cum Verbum carnem factum esse dixerit (ſunt verba S. Cyrilli Alex. *a*) in h. L.) hoc est hominem, et fratrem ſervorum, atque creaturarum, integram tamen ei ſervat quoque hoc pacto dignitatem, et plenum esse Patris proprietate rursus ostendit. Natura quippe divina in se ipsa firma, et ſtabilis est, nec mutationem capit in aliud, ſed eodem se modo ſemper habet, et in ſuis dotibus constanter manet. Itaque licet Evangelista Verbum carnem factum esse dicat, non tamen ipsum carnis infirmitatibus ſuccubuisse asserit, nec pristina illa ſua virtute, et gloria excidisse, eo quod infirmum nostrum, et inglorium corpus induit. Vidimus enim gloriam eius, inquit, omni gloria ſuperiorem, et qualem decere Filium ex Deo Patre unigenitum nemo non fateatur. Plenus enim erat gratia et veritate. Siquis enim ſanctorum chorum contempletur, et uniuscuiusque res gestas perpendat, mirabitur utique, et illorum virtutibus oblectabitur, eosque gloria repletos a Deo fuisse fatebitur. Unigeniti vero gloriam, et gratiam nullo modo cum cæterorum gloria comparandam esse theologi docent, ac

a) *Pag.* 97.

ſacri teſtes, ſed longe eminentiorem, et præſtantiorem, ut qui non definitam habeat gratiæ menſuram quaſi ab altero acceptam, ſed tanquam in perfecto perfectam, ac veram; id eſt, non adſcititiam, nec aliunde quaſi acceſſionis loco ſuppeditatam, ſed ſubſtantialiter inexiſtentem, et fructum paternæ proprietatis naturaliter transmiſſum in Filium. Quodſi cui placet accuratius id, quod dictum eſt, examinare, conſideret apud ſe, quid ſancti ipſi, et quid Salvator noſter Chriſtus mirabiliter patrarunt, tantumque diſtare comperiet, quantum antea diximus."

CAPUT V.

VERBI INCARNANDI ANNUNTIATIO.

In menſe autem ſexto, miſſus eſt angelus Gabriel a Deo in civitatem Gallilææ, cui nomen Nazareth, *ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, et nomen virginis, Maria.* Luc. I. 26.

Meſſias Zachariæ ſacerdoti denunciatus.

Ad denunciandum Meſſiæ, eiusque præcurſoris adventum, ac incarnationis myſterium Gabriel angelus miſſus, primum Zachariæ Joannis præcurſoris patri a), *qui ſecundum conſuetudinem ſacerdotii ſorte exiit, ut incenſum poneret ingreſſus in templum Domini*, qualem, quantumque ei in ſenectute ſua Eliſabeth uxor ſterilis, ac ſenex genitura eſſet filium, ſimulque quod eſſet obiturus officium, denunciat: *Erit enim magnus coram Domino: et vinum, et ſiceram non bibet, et Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ: et multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum.*

Haud obſcure Meſſiæ divinitas deſignatur verbis his angeli: *Et multos filiorum*

a) *Luc. I. 9.*

Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum ; illis vero, quæ mox ſequuntur: *Et ipſe præcedet ante illum*, Dominum nempe Deum ipſorum *in ſpiritu*, *et virtute Eliæ*, innuitur tota œconomia regni Christi a primo eius adventu in carne usque ad ſecundum in consummatione ſæculi, quem Elias præcessurus est, primum autem in ſpiritu et virtute Eliæ Joannes (quem ipse Christus Eliam vocat). *Ut convertat corda patrum in ſilios, et incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam :* ei nimirum Domino, de quo mense abhinc ſexto (postquam Gabriel angelus Zachariæ Joannem ex Eliſabeth uxore naſciturum denunciaverat) idem archangelus missus ad Mariam virginem, *Ecce*, inquit, *concipies in utero et paries ſilium, et vocabis nomen eius Jeſum. Hic erit magnus, et Filius Altiſſimi vocabitur.* CAPUT V.

Animadverte autem, in verbis Gabrielis omnia comparata esse ad Messiæ regnum in terris quoque, ſed nequaquam eiusmodi quale tunc vulgo exſpectabant Judæi, perverſe interpretati prophetiam Iſaiæ de Messiæ pacifico imperio ſuper ſolium David, omnibus cæteris poſthabitis, quæ ibidem de Christo historica narratione veluti iam facta deprædicat propheta *a*): *Parvulus enim natus est nobis, et ſilius datus est nobis, et* Regnum Messiæ.

a) *Iſaiæ IX.* 6. 7. 8.

factus est principatus ſuper humerum eius: et vocabitur nomen eius Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis: ſuper ſolium David et ſuper regnum eius ſedebit: ut confirmet illud, et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in ſempiternum; zelus Domini exercituum faciet hoc. Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel. Quis ſibi persuadeat, humilem virginem Mariam Deo gratam, et dilectam inprimis, cui tam gratiosam angelus a Deo ſalutationem attulit, ita accepisse angeli verba ſicut Judæi de filio, quem esset paritura: cui daturus esset *Dominus Deus ſedem David Patris eius.* Erat quidem de domo David Joseph Mariæ ſponsus, quæ vero familia post captivitatem Babylonicam in obscuro latebat, et quidquid principatus apud Judæos fuerat ſub ſecundo templo penes Asmonæos erat ſeu Machabæos ex genere ſacerdotali, ut Judæis de regno terreno Messiæ opinio eximeretur animo: quod regnum futurum esset æviternum per propagationem carnalem, a qua abhorrens Maria virgo maritalis thori nescia, quærit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Revelat autem angelus, hæc futura ſine coniunctione, atque adeo ſuccessione carnali: itaque ſolum illum ac unicum, quem, virtute Altissimi obumbrante a

Spiritu ſancto conceptum enixura esset Filium Altiſſimi, fore, qui regnaturus esset in æternum εἰς τοὺς αἰῶνας. Quod vero quale ſit futurum æviternum tempus, ne ambiguum esse posset additur, regni eius βασιλείας αὐτοῦ, quem esset paritura, non fore finem. Hæc vero ſupra captum, et ultra exspectationem erant carnaliter ſapientium Judæorum, ſibique persuadentium regnum terrenum εἰς τοὺς αἰῶνας per ſæcula perennaturum in domo Jacob, ac ſolio David.

Missus quidem, et destinatus fuerat Christus ad quærendas et ſalvandas oves Israelis, ex quo etiam quicunque eum receperunt, in regnum ſuum adscripsit, atque ex illo populo apostolos ſelegit, qui Evangelium deferrent ad gentes, quas omnes in ſemine Abraham benedicendas promiſerat Deus *a*), *universas cognationes terræ;* prout ſingulariter iterum ea promiſſio facta est patriarchæ Jacob, postquam in ſomnis vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, et cacumen illius tangens cœlum, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi *b*): *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo, et ſemini tuo. Eritque ſemen tuum*

a) *Gen. XII.* 3. *XXII.* 18. *b*) *Ib. XXVIII.* 12.

CAPUT VI. *quaſi pulvis terræ: dilataberis ad Occidentem, et Orientem, et Septentrionem, et Meridiem: et benedicentur in te, et in ſemine tuo cunctæ tribus terræ.* Ubi iam iterato terra Chanaan populo regnoque Israelitico promittitur, quæ erat figura regni Christi, uti etiam ſolium David terrenum, qui in Psalmis longe ſublimius, augustiusque regnum Christi deprædicat æternum.

CAPUT VI.

Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. I. 34.

B. Mariæ et Zachariæ dispar fidei ratio. Exemplo hic ſuo beatiſſima Virgo demonstrat, quousque in divinis mysteriis ratio, quæ fidei nequaquam adverſatur, quæri, ac locum habere poſſit, theologiæ ſanæ ſobriorumque theologorum magistra. Ab angelo edocta, quomodo integra virgo, virtute Altiſſimi mater eſſet futura per Spiritum ſanctum, iam non ultra quærit: *Unde hoc ſciam?* Sicut Zacharias incredulus, postquam iam ab angelo didicerat a), filium ſibi Eliſabeth uxorem parituram, eumque magnum futurum coram Domino, qui

a) *Luc. I. 13.*

Spiritu ſancto repletus ex utero matris ſuæ, multos filiorum Israel converteret ad Dominum Deum ipsorum, Meſſiam nimirum, ut contextus verborum prodit nexusque ſermonis cum mox ſequentibus verbis *a*): *Et ipse præcedet ante illum* (quem modo nominaverat: *Dominum Deum ipsorum*, nempe *filiorum Israel*) *in ſpiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios etc.* Zacharias ſacerdos in lege et prophetis eruditus ignorare non poterat, hanc esse prophetiam postremam ultimi prophetarum Malachiæ, qui ſuum et totius veteris testamenti vaticinium his claudit verbis cap. ultimo verſibus duobus postremis: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.* Quæ ex hac prophetia ad filium Zachariæ naſciturum pertinebant, edixerat ei angelus. Inſuper diligens et iam longævus ſcripturarum lector prophetarumque ſcrutator ſeptuaginta hebdomadas iuxta Danielis prophetiam tunc temporis complendas esse, noſſe debuerat. Id quod Zachariæ in memoriam revocans angelus, dixit ei *b*): *Ego ſum Gabriel, qui adsto ante Deum: et miſſus ſum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare:*

a) *Luc. I. 17.* *b*) *Ib. 19.*

CAPUT VI. Is ipſe angelus, qui Danieli tempus Meſſiæ poſt ſeptuaginta hebdomadas prædixerat, nunc quoque Mariæ virgini denuntiat: *Ecce concipies, et paries filium etc.* quæ etiam Dei genitrix ab Eliſabeth uxore Zachariæ, qui in pœnam incredulitatis mutus factus fuit, *beata*, prædicatur *a*), *quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi a Domino*, per angelum nimirum, a quo myſterium requiſierat. Ignara Eliſabeth, quæ marito acciderant in templo, quippe qui domum mutus redierat ob incredulitatem, dum prophetico inſtinctu beatam deprædicat Mariam, quæ credidit; ignara inquam marito veluti exprobrat cum Gabriele angelo pro eo, quod non credidiſſet verbis angeli, qui tam aperte inſtantem iamiam Meſſiæ adventum (tam præciſe indicato, quod tunc aderat, tempore eius adventus) Danieli prophetæ denunciaverat. Mox vero Zacharias reddita lingua reminiſcens prophetiarum de redemtione plebis ſuæ per Meſſiam iam conceptum a virgine, et ipſe prophetans *b*): *Benedictus*, canit, *Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit, et fecit redemtionem plebis ſuæ: Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui, Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui a ſæculo ſunt, prophetarum eius.* Maria vero mox ut percipit ab angelo, quomodo iuxta prophetiam

a) *Luc. I.* 45. *b*) *Ib.* 68.

Iſaiæ VII. 14. virgo conceptura esset et paritura, mox *Ecce*, inquit, *ancilla Domini*, *fiat mihi ſecundum verbum tuum*, dum prius de pudore ac integritate ſua ſollicita quæsiisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quæ in verba, „Videtur hic, commentatur S. Ambrosius *a*), non credidisse Maria, nisi diligenter advertas; neque enim fas est, ut electa ad generandum unigenitum Dei Filium fuisse videatur incredula. Quo autem modo fieri posset (licet ſalva prærogativa ſit matris, cui profecto amplius fuit deferendum: ſed ut prærogativa maior, maior etiam fides ei debuit reservari) quo ergo modo fieri posset, ut Zacharias, qui non crediderat, ſilentio condemnaretur: Maria autem si non credidisset, Spiritus ſancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere Maria, neque tam temere debuit usurpare: non credere angelo, usurpare divina. Neque enim facile erat ſcire mysterium absconditum a ſæculis in Deo, quod nec ſuperiores potestates ſcire potuerunt." Mysterium hoc absconditum est Mariæ virginitas, quæ et partus ipsius, ſimiliter et mors ipsius S. Ignatio M. dicuntur *b*) „tria mysteria clamoris, quæ in ſilentio Dei patrata ſunt." Hinc, ut Theophy-

a) *L. II. in Lucam. n.* 14. *T. I. p.* 1286.
b) *Ep. ad Eph. n.* 19.

Caput VI. lactus *a*) in hunc locum notat poſt S. Chryſoſtomum, Zacharias merito condemnatur; habuit enim exempla multa, quandoquidem et multæ ſteriles pepererunt; virginis autem matris nullum exemplum erat.

S. Maria virgo Deo devota.

Argumentum hinc repetit S. Auguſtinus *b*), B. Mariam virginem, antequam Chriſtum conciperet, iam Deo dicatam fuiſſe ſublimiori, quam fuerit veteris teſtamenti conditio, ſtatu. „Hæc, ait, indicant verba, quæ ſibi fœtum annuntianti angelo Maria reddidit: *Quomodo fiet iſtud*, inquit, *quoniam virum non cognoſco?* Quod profecto non diceret, niſi Deo virginem ſe ante voviſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro iuſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa voverat." Eundem in modum S. Gregorius Niſſænus *c*) ad fidem hiſtoriæ incerti autoris argumentatur. „Si enim, inquit, liberorum cauſa ducta fuiſſet a Ioſeph, quomodo parituram angelo prænuntianti, ſe rem novam et alienam audire prætuliſſet, cum ipſa quoque ſeſe obſtrinxiſſet naturæ lege, ut aliquando mater eſſet? Verum quia carnem Deo conſecratam, tanquam ſanctum aliquod oblatum munus

a) *T. I. p.* 276. *b*) *De ſancta Virginit. c.* 4.
c) *In diem natalem Chriſti T. III. p.* 347.

oportebat intactam, integramque præſtare: idcirco, licet, inquit, angelus ſis, licet e cœlo venias, licet id, quod oſtenditur, naturam ſuperet humanam, tamen me virum cognoſcere nefas eſt. Quomodo ſine viro mater ero? Joſeph enim ſponſum novi, ſed virum non cognoſco.“ Juvat hunc ipſum S. Doctorem ab ovo ſalutationem angeli in eandem ſententiam explicantem audire. „His autem, inquit, fauſtiſſimis verbis uſus eſt, *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Contraria eſt hæc oratio illis vocibus, quas prima mulier audivit. Tunc enim illa doloribus propter peccatum donata eſt. Nunc autem in hac per gaudium dolor expellitur. In illa moleſtiæ partum præceſſerunt. Huic partum lætitia prænuntiat. *Ne timeas*, inquit, quoniam omnibus mulieribus timorem affert partus expectatio, dulcis partus promiſſione timor eximitur. *In utero*, inquit, *concipies, et paries filium, et vocabis nomen eius Jeſum. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Quid autem Maria? audi pudicam virginis vocem! Angelus partum nuntiat. At illa virginitati inhæret, et integritatem angelicæ demonſtrationi anteponendam iudicat: nec angelo fidem habet, nec a propoſito recedit ſuo. Interdixi, inquit, mihi conſuetudine viri. Quomodo iſtud erit mihi, quoniam virum non cognoſco?“

Caput VII.

CAPUT VII.

Dixit autem Maria: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Luc. I. 38.

Antitheſis Mariam inter et Evam.

Quam S. Gregorius Niſsænus paucis attigit Mariam inter et Evam antitheſin, perinde ac S. Ambroſius *a*) [dum utraque virgo, Eva genus humanum perdidit, Maria, Verbum divinum pariens, reſtituit, ſublimitate adoptionis in filios Dei inde ſecuta] eam dudum antea egregie S. Irenæus amplificaverat in hæc verba *b*): „Conſequenter autem et Maria virgo obediens invenitur, dicens: *Ecce ancilla tua, Domine; fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Eva vero inobediens: non obedivit enim, adhuc cum eſset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc exiſtens (erant enim utrique nudi in Paradiſo, et non confundebantur, quoniam paulo ante facti, non intellectum habebant filiorum generationis; oportebat enim illos primo adoleſcere, dein ſic multiplicari) inobediens facta, et ſibi, et univerſo generi humano cauſa facta eſt mortis: ſic et Maria habens prædeſtinatum virum, et

a) *L. II. in Lucam. n. 17. T. I. p. 1287. c.*
b) *L. III. contra hæreſes. c. 22. n. 4. p. 219.*

tamen virgo, obediens, et ſibi, et univerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis. Et propter hoc lex eam, quæ deſponſata erat viro, licet virgo ſit adhuc, uxorem eius, qui deſponſaverat, vocat; eam, quæ eſt a Maria in Evam recirculationem ſignificans: quia non aliter, quod colligatum eſt, ſolveretur, niſi ipſæ compagines alligationis reflectantur retrorſus; ut primæ coniunctiones ſolvantur per ſecundas, ſecundæ rurſus liberent primas. Et evenit primam quidem compaginem a ſecunda colligatione ſolvere, ſecundam vero colligationem primæ ſolutionis habere locum. Et propter hoc Dominus dicebat, primos quidem noviſſimos futuros, et noviſſimos primos." Adhuc luculentius rem agit poſtea: iuvat et eum hic ad conſiderandum exſcribere locum: „Manifeſte itaque, inquit *a*), in ſua propria venientem Dominum, et ſua propria eum baiulante conditione, quæ baiulatur ab ipſo, et recapitulationem eius, quæ in ligno fuit inobedientiæ, per eam, quæ in ligno eſt obedientiam, facientem, et ſeductionem illam ſolutam, qua ſeducta eſt male illa, quæ iam viro deſtinata erat virgo Eva, per veritatem evangelizata eſt bene ab angelo iam ſub viro virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angeli ſermonem ſeducta eſt, ut effugeret Deum, præ-

CAPUT VII.

a) *L. V. c.* 19. *p.* 316.

CAPUT VII. varicata verbum eius; ita et hæc per angelicum ſermonem evangelizata eſt, ut portaret Deum, obediens eius verbo. Et ſi ea inobedierat Deo; ſed hæc ſuaſa eſt obedire Deo, uti virginis Evæ virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adſtrictum eſt morti genus humanum per virginem, ſolveretur per virginem: æqua lance diſpoſita, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplaſti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et ſerpentis prudentia devicta in columbæ ſimplicitate, vinculis autem illis reſolutis, per quæ alligati eramus morti.“ Tertullianus fidem Mariæ virginis opponit credulitati Evæ *a*).

B. Mariæ humilitas. Alii alias virtutes Mariæ (quam potiori iure dicunt vocari matrem viventium) Evæ, nominatim S. Epiphanius *b*) opponunt; celebrant autem præſertim humilitatem B. V. in iis potiſſimum verbis, quibus ſe ancillam Domini obſequentem oſtendit: „Vide humilitatem, exclamat S. Ambroſius *c*) in h. l. vide devotionem! Ancillam ſe dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt. Simul ancillam dicendo, nullam ſibi prærogativam

a) *De Carne Christi. n.* 17. *p.* 321.
b) *L. III. hæres. LXXVIII. T. I. p.* 1050. *ed. Petav.*
c) *L. II. in Luc. n.* 16. *T. I. p.* 1287.

tantæ gratiæ vindicavit, quæ faceret, quod iuberetur. Mitem enim, humilemque paritura, humilitatem debuit et ipsa præferre. *Ecce ancilla Domini, contingat mihi ſecundum verbum tuum.* Habes obſequium, habes votum. *Ecce* enim *ancilla Domini*, apparatus officii est: *contingat mihi ſecundum verbum tuum*, conceptus voti est." Dum vero humillima esset virgo, virtuti huic delicatissimæ deperiisse aliquid ne videatur, si ipsa eam in ſemet extulisse dicatur in cantico ſuo *Magnificat a)* etc. Quia respexit humilitatem ancillæ ſuæ ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. Utrinque vox *humilitas* et ταπείνωσις ſuo ſignificatu nativo accipitur pro abiecta conditione, misera, afflicta; Origenes vero altius assurgit, humilitatemque principem virtutem christianam ante Christum in Christi matre deprædicat: cuius locum aliis quoque titulis memorabilem operæ pretium est exſcribere. („De eo *b)* quod ſcriptum est: *Magnificat anima mea Dominum*, usque ad illum locum, ubi ait: *timentibus efficit virtutem.*) In quam, inquit, humilitatem Mariæ respexit Dominus? Quid habebat mater Salvatoris humile, atque deiectum, quæ Dei Filium gestabat in utero? Quod ergo dicit: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, tale est, quasi dixerit: Respexit in iustitiam ancillæ ſuæ,

a) Luc. I. 48. *b) Hom. VIII. in Luc. T. III. p. 941.*

reſpexit in temperantiam, reſpexit in fortitudinem, atque ſapientiam. Dignum quippe eſt, ut virtutes reſpiciat. Reſpondeat aliquis, et dicat: Intelligo, quomodo Deus iuſtitiam ancillæ ſuæ, ſapientiamque reſpiciat: quomodo autem intendat humilitatem, non ſatis liquet. Conſideret, qui quærit talia, quoniam proprie in ſcripturis una de virtutibus humilitas prædicetur. Ait quipe ſalvatör: *Diſcite a me, quia manſuetus ſum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus veſtris.* Quodſi vis nomen huius audire virtutis, quomodo etiam a philoſophis appellatur, auſculta, eandem eſſe humilitatem, quam reſpiciat Deus, quæ ab illis ἀτυφία, ſive μετριότης appellatur. Sed et nos quodam eam poſſumus dicere circuitu, cum aliquis non eſt inflatus, ſed ipſe ſe deiicit. Qui enim inflatur, cadit ſecundum apoſtolum in iudicium diaboli: ſiquidem et ille ab inflatione cœpit, atque ſuperbia. *Ut non*, inquit, *inflatus in iudicium incidat diaboli. Reſpexit ſuper humilitatem ancillæ ſuæ.* Humilem me, inquit, et manſuetudinis ſectantem, deiectioniſque virtutem reſpexit Deus. *Ecce enim amodo beatam me dicent omnes generationes.* Si ſimpliciter intelligam omnes generationes, ſuper credentibus illud interpretor. Si autem altius aliquid fuero ſcrutatus, animadvertam, quanti ſit profectus dicere: *Quia fecit mihi magna, qui*

potens eſt: quoniam *omnis*, *qui ſe humiliat*, *exaltabitur.* Reſpexit Deus in humilitatem beatæ Mariæ, propterea fecit illi magna, *qui potens eſt*, *et ſanctum nomen eius. Et miſericordia eius in generationes generationum.*" CAPUT VIII.

CAPUT VIII.

CHRISTUS PROMISSUS PATRIBUS.

Hic erit magnus, et Filius Altiſſimi vocabitur. *Et dabit illi Dominus Deus ſedem David patris eius: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni eius non erit finis.* Luc. I. 32.

Ad tantam familia ac domus David obſcuritatem humilitatemque redacta fuerat poſt reditum ex captivitate Babylonica, ut poſt Zorobabelem, de quo certum non eſt, eum ex ea ſtirpe fuiſſe, nulla illius in regimine tribus Judæ ratio habita fuiſſe legatur. Quidquid reſidui fuit poteſtatis in tribu Juda, penes ſacerdotes erat: dum etiam poſtea ſub Simone Machabæo, *ablatum eſt iugum gentium ab Iſrael*, ut habetur Machab. XIII. 41. firmatumque eſt huic familiæ regimen; nec memoria quidem ſtirpis David ſuperſtes videtur poſſe colligi

Ex ſemine Abrahæ oriturus et ſtirpe David.

CAPUT VIII.

ex eo quod legere eſt Machab. XIV. 41. *Judæi et ſacerdotes eorum conſenſerunt*, *eum* (Simonem) *eſſe Ducem ſuum et ſummum Sacerdotem in æternum εἰς τον αἰῶνα*, *donec ſurgat propheta fidelis.* Defecerant tunc iam diu prophetæ, ac etiam deinceps usque ad Joannem Baptiſtam. Dum ecce eo adhuc in utero latente Filius ex Maria naſciturus is futurus denunciatur, quem oſtentat præmiſſus textus Lucæ. Hoc eſt, quod B. V. Maria in ſuo cantico deprædicat *a*): *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Totum in eo eſt canticum illud, ut hanc divinam miſericordiam extollat et *potentiam in brachio ſuo*, qua, depoſitis potentibus de ſede, exaltati ſunt humiles ex domo et familia David, ut ex ea ſuſciperet Iſrael puerum ſuum, *ſicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham et ſemini eius in ſæcula.* Factas has patribus promiſſiones D. Paulus Gal. III. 16. reſpiciens, *Non dicit: Et ſeminibus*, ait, *quaſi in multis: ſed quaſi in uno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*, iuxta œconomiam Evangelii Chriſti Verbi incarnati. Sic etiam Zacharias canticum ſuum informat *b*): *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit, et fecit redemtionem plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui a ſæculo ſunt,*

a) *Luc. I.* 48. *b*) *Ib.* 68. *etc.*

prophetarum eius. Salutem ex inimicis noſtris, et de manu omnium, qui oderunt nos. Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: et memorari teſtamenti ſui ſancti. Quodsi promiſſio hæc eſſet etiam ſecundum carnem in ſemine Abrahæ, miſericordia hæc fieri non potuiſſet cum Patribus ante Chriſtum iam defunctis, ſed per Chriſtum *non qui filii carnis*, iuxta Apoſtolum *a*), *hi filii Dei, ſed qui filii promiſſionis, æſtimantur in ſemine*, nimirum *teſtamenti ſui ſancti*, quo hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti ſumus regni cœleſtis per Chriſtum. Deinde etiam ad promiſſionem Abrahæ factam Zacharias provocat iuramento firmatam a Deo *per ſemetipſum: quoniam*, ut ait Apoſtolus *b*), *neminem habuit, per quem iuraret maiorem. In quo*, ſubdit *c*), *abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit iusiurandum: ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem*, qua nimirum ſpe repromiſſionis factæ Abrahæ per Chriſtum ſimus participes: id quod eſt argumentum totius illius epiſtolæ, ut novi præ veteri teſtamento præſtantiam declaret Apoſtolus *d*): qua nimirum *amplioris gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto*

a) *Rom. IX.* 8. *b*) *Hebr. VI.* 13. *c*) *Ib.* 17.
d) *Ib. III.* 3.

CAPUT VIII. *amplioreṁ honorem habet domus, qui fabricavit illam*, Verbum nimirum divinum æterni Patris Filius *a*), *per quem fecit et ſæcula*, incarnatus; *et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam: et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ.*

Eſt hoc in cantico Zachariæ *b*) *iusiurandum* illud, *quod iuravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis: ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi; in ſanctitate et iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris:* tanquam ſpiritale ſemen Abrahæ ſecundum Evangelium Chriſti vitam inſtituendo in ſanctitate et iuſtitia, de quibus Apoſtolus *c*): *Si autem vos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem hæredes.* Et ſupra *d*): *Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ. Providens autem ſcriptura, quia ex fide iuſtificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Et paulo poſt *e*): *Ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.* Benedictionem hanc Abrahæ factam poſtquam extuliſſet Jeſus filius Sirach, ſubdit *f*): *Et in Iſaac eodem*

a) *Hebr. V. 7.* *b*) *Luc. I. 73.* *c*) *Gal. III. 29.* *d*) *Ib. 7.* *e*) *Ib. 14.* *f*) *Eccli. XLIV. 24. etc.*

modo fecit propter Abraham patrem eius. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et teſtamentum confirmavit ſuper caput Jacob. Patriarcham Isaac commemorat ſecundum tertio iam factam Abrahæ illam promiſſionem, qua demum *per ſemetipſum* iuravit Deus, poſtquam iuſſus immolare voluit filium Isaac *a*): *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Juramenti Abrahæ ipſe Dominus meminit, dum Gen. XXVI. Isaac apparens eandem ei impertitur benedictionem, facitque promiſſionem. Eadem etiam benedictio facta vivente adhuc Isaac patre fuit Gen. XXVIII. 14. Jacob, quem nominat angelus ad Mariam de Christo filio locutus: *Et regnabit in domo Jacob in æternum.* Benedictionem accepit Jacob prima nocte adhuc recumbens in terra Chanaan promiſſa Abrahæ, cum fratris Esau iram fugiens ad avunculum ſuum Laban in Meſopotamiam contenderet *b*), *videretque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, et cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes et deſcendentes per eam, et Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo et ſemini tuo. Eritque ſemen tuum, quaſi pulvis terræ: dilataberis ad Occidentem, et Orientem, et Septentrionem, et Meridiem: et*

CAPUT VIII.

a) *Gen. XXII. 18.* *b*) *Ib. XXVIII.*

CAPUT VIII. *benedicentur in te, et in ſemine tuo cunctæ tribus terræ.* Omnia hæc regnum Christi portendebant Eccleſiam militantem hic in terris, et regnantem in æternum in cœlis, cuius regni non erit finis. Unde *cum evigilaſſet Jacob de ſomno, ait: Vere Dominus eſt in loco iſto, et ego neſciebam. Pavenſque, quam terribilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hic aliud niſi domus Dei, et porta cœli. . .* Appellavitque nomen urbis Bethel Domus Dei, quæ eſt Eccleſia inter gentes iuxta promiſſionem factam Jacob.

Quod attinet mox antecedentem promiſſionem: *Et dabit illi Dominus Deus ſedem David patris eius*, facta legitur promiſſio hæc Davidi in filio Salomone, dum ei reſervata eſt templi ædificatio *a*): *Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo, et ſtabiliam thronum regni eius usque in ſempiternum . . . Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus iugiter.* Promiſſio hæc Davidi facta in apertiſſima de Christo prophetia Iſa. IX. 6. etc. a nobis paulo ante recitata explicatur. Quando vero, et quomodo hæc implenda ſint, idem propheta poſtea

a) *II. Reg. VII.*

declarat a): *Inclinate aurem veſtram, et venite ad me: audite, et vivet anima veſtra, et feriam vobiscum pactum ſempiternum, miſericordias David fideles. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Ezech. XXXIV. 23. ſiſtitur Chriſtus paſtor ille ovium bonus b), præter quem, ſicut Chriſtus ipſe dicit, quotquot venerunt, fures ſunt et latrones. *Et ſuſcitabo ſuper eas*, verba ſunt Ezechielis, *paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David: ipſe paſcet eas, et ipſe erit eis in paſtorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum: et ſervus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus ſum.* Tum poſtea XXXVII. 24. *Et ſervus meus David rex ſuper eos, et paſtor unus erit omnium eorum: in iudiciis meis ambulabunt, et mandata mea cuſtodient, et facient ea. Et habitabunt ſuper terram, quam dedi ſervo meo Jacob, in qua habitaverunt patres veſtri: et habitabunt ſuper eam ipſi, et filii eorum, et filii filiorum eorum usque in ſempiternum: et David ſervus meus princeps eorum in perpetuum. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit eis etc.* Accipitur hic locus etiam de populi Judaici converſione, quæ adhuc ſperatur ante finem mundi futura, perinde ac alia eiusmodi vaticinia aliorum prophetarum, quæ longum eſſet hic referre, veluti Iſa.

a) *Iſa. LV.* 3. b) *Jo. XI.* 14.

CAPUT VIII. X. 22. XI. 11. XXXVII. 32. Jer. XXX. 33. XXXIV. 21. 26. Oſee III. 4. Mich. IV. apud quem vero prophetam mox ſequenti capite quinto inſignis illa prophetia, quæ Matth. II. 6. ab ipſis principibus ſacerdotum et ſcribis populi ab Herode conſultis licet non integra allata legitur in teſtimonium naſcituri in Bethlehem Meſſiæ. Et adhuc explicatius Jo. VII. 42. *Nonne ſcriptura dicit: Quia ex ſemine David et de Bethlehem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus?* veluti accidit: quemadmodum nempe Evangeliſta teſtatur *a*), dum *omnes ibant, ut profiterentur ſinguli* iuxta edictum Auguſti, ut deſcriberetur univerſus orbis, *in civitatem ſuam*, aſcendiſſe Joſeph *in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eoquod eſſet de domo et familia David cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. Factum eſt autem, cum eſſent ibi, impleti ſunt dies, ut pareret.* Adeſtque ſubito natum Salvatorem annuntians angelus paſtoribus exterritis: *Nolite*, inquiens, *timere: Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David.*

In ſalutem gentium. Quod hic annuntiat *gaudium magnum omni populo b*), Simeonem illum ſenem, cum Chriſtum in templo præſentatum in ulnas

a) *Luc. II.* *b*) *Ib.* 28.

ſuſciperet, extra ſe rapuit, ut iam dimitti in pace, ſeu mori cuperet, *Quia*, ut ait, *viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium; et gloriam plebis tuæ Iſrael.* Plena ſunt de hoc prophetarum oracula, quorum nónnulla tum alibi paſſim, plura vero ſimul colligit S. Paulus Rom. XV. ac primum quidem ipſius regis Davidis ex cantico eius, quod habetur II. Reg. XXII. estque pſalmus XVII. Dicit autem apoſtolus, *Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones patrum: gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, et nomini tuo cantabo.* Idem adhuc copioſius facit apoſtolus *a*) Chriſtum Antiochiæ prædicans in ſynagoga Judæorum, illud imprimis agens, ut ex Chriſti reſurrectione ipſorum animis ſiniſtram de regno Meſſiæ in ſede David et domo Jacob in æternum eximat opinionem, quod Judæi terrenum in progenie David fore exiſtimabant perduraturum, annuntiando eam, *quæ*, ut inquit *b*), *ad patres noſtros repromiſſio facta eſt; quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris, reſuſcitans Jeſum.* Ex eo autem, quod Chriſtus iam non moritur, quale eius ſit reg-

a) *Act. XIII.* *b*) *Ib.* 32.

CAPUT VIII.

num, declaratur; *David enim*, ſubdit *a*), *in ſua generatione cum administrasset voluntati Dei, dormivit, et appositus est ad patres ſuos, et vidit corruptionem; quem vero Deus ſuscitavit, non vidit corruptionem.* Idem argumentum adhuc magis illustrat D. Petrus in primo post acceptum Spiritum ſanctum ad Judæos ſermone *b*): „Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, et ſepultus: et ſepulchrum eius est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, et ſciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Jesum resuscitavit Deus, cuius nos testes ſumus. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus ſancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, et auditis. Non enim David ascendit in cœlum etc."

Perspicuum hinc fit, quomodo hoc regnum ſit ſecundum repromissionem factam patribus ante Christum, qui ſunt filii resurrectionis nobiscum ad reformandam in nobis imaginem Dei per Adamum ſecundum, in primo depravatam *c*), *ut ſicut por-*

a) *Act. XIII.* 36. *b*) *Ib. II.* 29. *etc.*
c) *I. Cor. XV.* 49.

tavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœleſtis: Nempe *a) cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſalvati, et conreſuſcitavit, et conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu.* Mirarer, eſſe hodieque ex Chriſtianis etiam doctoribus, qui reſuſcitantes ex parte ſaltem veterum chiliaſtarum Judaizantium opinionem, reſtaurant regnum quoddam Davidicum in terris cum Chriſto ævum quoddam perduraturum, niſi ex illis eſſent, qui eccleſiam militantem regnum Chriſti in terris a prima Chriſtiani nominis ætate in orbe catholico conſpicuum nolunt agnoſcere, haud ſecus ac Judæi Chriſtum humilem ac abiectum, dum coram cernerent Romanos domitores orbis falſorum deorum cultores, divinarentque experti, toties acciſas res ſuas ac regnum, quoties patres ſui a cultu veri Dei ſui in idololatriam fuiſſent prolapſi: certe porro tenentes ſimulacra gentium argentum et aurum opera manuum hominum eſſe; canentes in ſacris ſuis cum regio pſalte ſuo Davide (in cuius ſemine erat, quod exſpectabant tunc vel maxime ablato a Juda ſceptro, inſtaurandum Meſſiæ regnum) de ſimulacris illis gentium *b) Os habent, et non loquentur etc.* oranteſque ardenter: *Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Velamen vero cum poſitum

a) Eph. II. 5. *b) Pſalm. CXIII. 5.*

Caput VIII. ſuper cor haberent, eundem regium pſalmiſtam non intelligebant toties converſionem gentium prædicentem, præſertim in pſalmo XXI. quo tota Evangelii Chriſti ac redemtionis noſtræ per crucem œconomia, ut iam vidimus, tam aperte declaratur, ac ſimul etiam Eccleſia illa magna, in qua conſtanter reſonat in ſuis pſalmis David canens in memorato pſalmo illo *a*): *Apud te laus mea in eccleſia magna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum.* Et mox: *Reminiſcentur, et convertentur ad Dominum univerſi fines terræ: et adorabunt in conſpectu eius univerſæ familiæ gentium.* Tum vero præſertim in pſalmo LXXI. *Deus iudicium tuum regi da, et iuſtitiam tuam filio regis* Salomoni quidem, ut tamen ad eccleſiam militantem regnum Chriſti in terris excurrat ſpiritu prophetico pſalmiſta *b*): *Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſervient ei: quia liberabit pauperem a potente; et pauperem cui non erat adiutor etc.* Idemque in Ps. LXXXV. in rebelle filio Abſolom refragariam Chriſto gentem Iudaicam adumbrans, ſimul triumphum de gentibus idololatris attingit: *Non eſt ſimilis tui in diis Domine: et non eſt ſecundum opera tua. Omnes gentes quaſcunque feciſti, venient, et adorabunt coram te Domine: et glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.*

a) *Pſalm.* XXI. 26. *b*) *Ib.* LXXI. 11.

CAPUT IX.

CHRISTI GENEALOGIA, ET GENERATIO EX VIRGINE.

Christi autem generatio ſic erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero *habens de Spiritu ſancto etc.* Matth. I. 18.

Duplex legitur in Evangelio Christi genealogia; altera Luc. III. 23. etc. ab Heli (quod est abbreviatum nomen ex Heliacim, idem ac Joachim apud Hebræos) patre Mariæ matris Jesu; deduciturque hæc genealogia usque ad Adam: altera Matth. I. usque ad Abraham, cuius ſemini facta est promissio nascituri Messiæ ex ſtirpe David regis, cuius regnum figura fuerat regni Christi: quod non erat de hoc mundo, ut Judæi ſperabant, putabantque ad ſuam ſolum ex patriarcha Abraham descendentem pertinere gentem; ſed commune erat futurum omnibus gentibus posteris Adami protoparentis, ad quem usque ascendit genealogia Lucæ. Genealogia Matthæi tamen Judaicam propius gentem ſpectabat, ex qua natus est Christus tunc, cum iam de tribu Juda ablatum esset ſceptrum; familia

Duplex Christi genealogia in Evangelio.

Caput IX.

David vero dudum throno deiecta inops erat et abiecta: ita ut natus ex illa Chriſtus non haberet, ubi caput reclinaret, natus in ſtabulo, poſitusque in præsepio. Tantum vero abest, ut aliquando facultates, pompam et ſplendorem huius ſæculi ambiret Meſſias mundi, ut potius contemtum mundanarum rerum docuerit verbo atque exemplo, pauperis filius fabri, ut putabatur, Joseph, qui artificio ſuo ſibi, Mariæ ac Jesu victum parabat.

Huc pertinet genealogia apud Matthæum *a)* ad Joseph patrem Christi nutritium deducta, qui ibidem mox etiam ab angelo filius David compellatur; cui fuit ſecundum legem Maria, ipsa etiam ex eadem descendens tribu Juda et familia ſecundum Lucam, desponsata: placuitque divinæ ſapientiæ hunc generationis Christi ordinem admirabilem inire: quo ſimul prophetiæ de matre virgine constaret veritas, alterique de danda ei ſede David patris ſui, quod ius virile erat: unde etiam apud eundem Evangelistam dicitur: *Qui fuit Heli*, ſcilicet patris Mariæ adeoque avi Christi. Porro hodiernis evangelicæ veritatis irriſoribus, qui genealogiam apud Matthæum et Lucam ſibi contrariari dicere haud verentur, id, quod olim S. Hieronymus Juliano apostatæ

a) *Matth. I.* 20.

idem oggerenti respondit, ſufficit reponere, inſcitia eos veteris legis laborare; qua cautum erat, ut mulieres non ſolum coniungerentur eiusdem tribus maritis, verum etiam mulier ſeu virgo unica relicta ex ſtirpe agnato proximo ad resuſcitandum ſemen copularetur. Cuius rei admirabili Deus conſilio ac providentia voluit in ipsa familia David, ex qua naſciturus erat Chriſtus, eſſe exemplum in Booz Davidis proavo, dum, ut legitur Ruth *a*) nurum defuncti mariti Elimelech accepit uxorem, perinde ac Joseph filius Jacob, qui per Salomonem originem ex ſtirpe David deducebat, Mariam virginem per Nathan filium David ex eadem ſtirpe oriundam accepit uxorem, ex qua natus eſt Chriſtus ſecundum naturam, ſecundum legem vero ex Joseph: quam genealogiam S. Lucas proſequitur, alteram S. Matthæus; quare ille patrem Joſephi vocat Jacob naturalem, hic Heli ſeu Eliacim parentem Mariæ: dum vero ad Joseph devenit, non iam, ut antea conſtanter utitur verbo *genuit*, utpote deſignans legalem generum Heli parentis Mariæ. S. Lucas vocem *fuit* adhibet, quæ naturali, et legali patri congruit; Heli autem Eliacim ſeu Joachim naturalis pater fuit Mariæ et Joseph per adoptionem, ſeu gener per legem *b*), *ut putabatur filius Joseph, qui*

a) *Ruth IV.* *b*) *Luc. III.* 23.

CAPUT IX. *fuit Heli*, Jesus nimirum ex Maria filia Heli natus.

Myſterium partus virginei.

Antequam igitur convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. „Sic principem huius ſæculi latuit Mariæ virginitas, ut S. Ignatius M. loquitur *a*), et partus ipſius.“ S. Leo M. veluti commentatus in hunc S. Martyris locum, „Chriſtus naſci, ait *b*), elegit ex virgine, ut natam humani generis ſalutem diabolus ignoraret, ſpiritali latente conceptu, quem non alium videret, quam alios, non aliter crederet natum eſſe, quam cæteros.“ Eandem S. Ambroſius *c*) in Lucæ cap. I. 27. rationem reddit, cur deſponſatæ demum virgini angelus conceptum virgineum denunciarit: „ut, inquit, virginitas Mariæ falleret principem mundi: qui cum deſponſatam viro cerneret, partum non potuit habere ſuſpectum.“ Quod ſic commode accipitur, ne diaboli inſtigatione partus redderetur apud homines ſuſpectus: iuxta ac iam prius animadverterat S. Pater *d*) bene utrumque poſuiſſe ſcripturam, „ut et deſponſata eſſet et virgo: virgo, ut expers virilis conſortii videretur: deſponſata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia,

a) *Epiſt. ad Eph. n.* 19. *b*) *Serm. XXI. de Nat. D. n.* 4.
c) *Lib. II. in Luc. n.* 3. *T. I. p.* 1282.
d) *Ibidem n.* 1.

cui gravis alveus corruptelæ videretur inſigne præferre. Maluit autem Dominus aliquos de ſuo ortu, quam de matris pudore dubitare." Factum hoc in pœnam iam reprobandorum Judæorum, obque malitiam et perverſitatem eorundem, ne calumniandi matrem et blaſphemandi filium materiam haberent, anſamque arriperent. Addit S. Ambroſius Herodem æmulum: „Quid autem, inquit *a*), Judæis, quid Herodi poſſet adſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſecuti?" Omnis hinc cauſandi, tergiverſandique illis ratio evaneſcit, qui cum Judæis hodieque vaticinium Iſaiæ *b*) nihil penſi habent, etiamſi ab ipſo evangeliſta Mathæo in teſtimonium vocetur *c*): *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emanuel: quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus.* Non ſine cauſa additur apud Matthæum nominis interpretatio ad innuendum, de re ipſa rem eſſe, non de indendo nomine, dum Judæi, eorumque patroni deſiderant in Chriſto nomen Emanuel ſecundum textum quo dicitur: *Et vocabitur nomen eius Emanuel.* At vero Emanuel hic debebat eſſe Deus abſconditus, et Salvator, id eſt Jeſus, quod vocatum eſt nomen eius, *antequam in utero conciperetur.*

a) *Lib. II. in Luc. n. 2. T. I. p.* 1282.
b) *Iſai. VII.* 14. *c*) *Matth. I.* 23.

Caput IX.

En medium inter tria myſteria clamoris a nobis iam ſupra ex S. Ignatio M. memmorata *a*), *quæ in ſilentio Dei patrata ſunt.* Jacet pannis involutus in præſepio elinguis infans. Eat iam Dionyſius Longinus dum in libro de ſublimi c. 7. „Aiacis in Necya ſilentium magnum et quavis oratione ſublimius extollit.“ Quid hoc ad myſterium noſtrum clamoris in ſilentio Dei patratum, dum nobis ſiſtitur Verbum incarnatum faſciis involutum lacrymis, non voce, qua adhuc divinus puſio caret, non ſuas imbecillis corpuſculi, ſed noſtras plorans animæ miſerias, dum mater virgo Deum et Hominem peperit Emanuel: *Nobiſcum Deus.*

Quidni cum S. Proclo *b*) in laudem parientis virginis erumpamus: „Omnium vice, quæ tui præconio dici queunt, unus tibi propheta abunde ſit ad laudis cumulum, qua clamat: *Ecce virgo habebit in utero.* Miraculum dixit, ſed modum reticuit. *Et pariet filium:* prædicavit partum, nec relationem adulteravit. *Et vocabunt nomen eius Emanuel;* Myſterium protulit, altaque velut tonutrui voce appellationem edixit: *Quod interpreteris Nobiſcum Deus.* Natam prolem

a) *Epiſt. ad Ephes. n.* 19.
b) *Orat. V. T. IX. Bibl. P. P. ed. nov. Venetæ, p.* 631.

claro præconio Deum dixit, ac Judæorum ora obſtruxit. *Nobiſcum Deus*, ac error extinctus eſt: *Nobiſcum Deus*, fugantur dæmones: *Nobiſcum DEUS*, caſſaque ac inutilis ceſſit diaboli opera: *Nobiſcum Deus*, Regesque pietatem colunt: *Nobiſcum Deus*, et Eccleſiæ mire frequentantur: *Nobiſcum Deus*, mortuique vindicatam libertatem exultabundi celebrant, ac clamore dicunt: Non angelus, non legatus, ſed ipſemet Deus venit et ſalvavit nos, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum." Amen.

Caput X.

CAPUT X.

CHRISTUS NASCITURUS IN BETHLEHEM CIVITATE DAVID.

Exiit edictum a cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt a præſide Syriæ Cyrino: et ibant omnes, ut profiterentur, ſinguli in ſuam civitatem. *Aſcendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eoquod eſſet de domo, et familia David, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.* Luc. II. 1.

Ablato iam ſceptro de Juda.

Eſt hæc divina redemtionis noſtræ in Incarnatione Verbi divini œconomia, qua naturam humanam ex ſemine David aſſumſit, natus in Bethlehem civitate David, acciditque admirabili divina ordinatione, ut Maria prægnante exiret edictum a cæſare Auguſto *a*) ut deſcriberetur univerſus orbis, Romanus nempe, cui tunc accenſebatur Judæa, ablato iam ſceptro: quod nequaquam futurum patriarcha Jacob celebri vaticinio moriens edixerat, *donec veniat, qui mittendus eſt, et ipſe erit exſpectatio gentium b*).

a) *Luc. II.* 1. *b*) *Gen.* 49.

S. Juſtinus M. Antonino Pio in Apol. 1. curate deſcribit Bethlehem locum nativitatis Christi: „Eſt autem, inquit *a*), vicus quidam in terra Judæorum, ſtadiis triginta quinque Hieroſolymis distans, ubi natus eſt Jesus Christus, quemadmodum et ex deſcriptionibus cenſus diſcere poteſtis, quæ ſub Cyrenio, primo veſtro in Judæa præſide, confecta ſunt." Et Tertullianus contra Marcionem: „de cenſu, inquit *b*), Auguſti, quem teſtem fideliſſimum Dominicæ Nativitatis Romana Archiva cuſtodiunt." Adhuc ſemel eodem libro *c*) loquitur *de iisdem Augustianis censibus.* Vide et adora miram Dei providentiam, dum deſcribitur orbis gentium, ille adhuc in utero matris ſuæ in cenſum venit, qui erat exſpectatio gentium, oriturus ex tribu Juda, ſed tunc, quando iam ſceptrum ab ea ablatum fuerat, et dux de femore eius, Chriſto, concepto de Spiritu ſancto, naſcituro ex virgine in Bethlehem Juda civitate David, ex cuius ſtirpe nempe oriturus erat Meſſias. Conſtat Judæorum morem fuiſſe, ut cenſus per tribus fieret et familias, quod ſtatu illo Judæorum confuſo fieri non poterat, niſi parentes eo ſe conferrent, unde familia fuerat Davidica nempe ex Bethlehem Juda, manifeſto ſtirpis Joseph

CAPUT X.

a) *N.* 34. *p.* 65. *A.* *b*) *Lib.* 10. *c.* 7. *p.* 417.
c) *Ibid. c.* 36. *p.* 453.

CAPUT X. ac Mariæ matris Jeſu argumento; ſed non minus manifeſto iudicio, quod ablatum eſſet ſceptrum de Juda delatum ad Romanos, quod tam ſingulari providentia Chriſtus ipſe teſtari debebat in ipſa ſua nativitate in Bethlehem; parentibus ex edicto cæſaris eo ſe conferre iuſſis, ut profiterentur ſe eſſe de ditione cæſaris. *Factum eſt autem, cum eſſet ibi Maria, impleti ſunt dies, ut pareret: et peperit filium ſuum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præſepio: quia non erat eis locus in diverſorio a).*

Maria ex Nazareth in Bethlehem concedit.

Sic impletum eſt S. Joannis in principio Evangelii ſui dictum: *In propria venit, et ſui eum non receperunt;* iterumque dum parentes Jeſu iuſſi ſunt cum infante fugam in Ægyptum arripere, quod eum rex alienigna Herodes quæreret ad perdendum eum: ac redux etiam, quod Archelaus filius Herodis regnaret in Judæa, timuit eo ire Joſeph; *et admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth b),* ubi iam prius degebant, dum ecce Maria in Nazareth iam gravida: *Exiit edictum a cæſare Auguſto; ut deſcriberetur univerſus orbis c).* Sicque Joſeph cum Maria iam partui proxima nihil cogitans *d) aſcendit a Galilæa de civitate Nazareth in*

a) Luc. II. 6. *b) Matth. II. 22.*
c) Luc. II. 1. *d) Ib. 4. 5.*

Judæam in civitatem Bethlehem, *eoquod eſſet de domo et familia David*, *ut profiteretur cum Maria desponſata ſibi uxore prægnante*; relinquens divinæ ſapientiæ conſilio orbi Romano in tabulis publicis ortus ſui documentum, ad quod confidenter provocarent chriſtiani. O adorandam divinam providentiam! dum ſuperbit Cæſar oſtentans imperii potentiam et imperandi poteſtatem per orbem, creator orbis et dominus adhuc in utero matris humilis obſecundat ſimul principi terreſtri, et Patri cœleſti iuxta prophetiam Mich. V. 2. etc. *Et tu Bethlehem*, *Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur*, *qui ſit dominator in Israel*, *et egreſſus eius ab initio*, *a diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos uſque ad tempus*, *in quo parturiens pariet: et reliquiæ fratrum eius convertentur ad filios Israel. Et ſtabit*, *et paſcet in fortitudine nominis Domini Dei ſui: et convertentur*, *quia nunc magnificabitur uſque ad terminos terræ:* lapis nimirum ille Dan. II. 45. qui *de monte abſciſſus eſt ſine manibus*, *et comminuit teſtam et ferrum etc.* Mandatum Auguſti matrem Jeſu deducit in Bethlehem, ut ibi, cum non eſſet locus in diverſorio, naſceretur in ſtabulo, qui ſibi omnia regna ſubiiceret, ac colla regum ſubderet ſuſcitato ſibi regno, *quod in æternum non diſſipabitur*, *et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem*, *et conſumet omnia regna hæc:* Nabuchodonoſori nempe in ſtatua repræſentata per ſomnum.

CAPUT XI.

CHRISTUS NATUS IN BETHLEHEM PASTORIBUS DENUNTIATUR AB ANGELIS.

Paſtores erant in regione eadem vigilantes, et cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce angelus Domini ſtetit iuxta illos. Luc. II. 8. etc.

Cur ſolis paſtoribus denuntiatus ſit Chriſtus natus.

Idem Dominus rex cœli et terræ, qui poſtea ad miniſterium ſuum viles piſcatores vocavit, et apoſtolos ad prædicandum Evangelium in orbem miſit, naſcens voluit rudibus et humilibus paſtoribus denunciari non regi Herodi, tetrarchis vel optimatibus Judææ principibus ſacerdotum, ſynedrio, ſcribis, vel Phariſæis. *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te*, ut abſconderentur hæc a ſapientibus, et prudentibus incredulis, et revelarentur parvulis. Quid enim illi ſuffeni, si eis pro nato Salvatore, qui eſt Chriſtus Dominus, ſignum datum eſſet, ſicut paſtoribus? *Et hoc vobis ſignum a): Invenietis infantem pannis involutum et poſitum in præſepio?* Ecce prævenitur voce angeli paſtorum ſimplicitas, ne dubitarent eum agnoſcere natum Salvatorem Chriſtum Dominum, quem angelus denunciaſſet inve-

a) *Luc. II.* 12.

niendum infantem pannis involutum poſitum in præſepio. „Auguſtum, ut cum S. Gaudentio Brixienſi loquar *a*), præſepis cunabulum, et obvolutio conſueta pannorum, humanam ſignat infantiam; ſed angelorum voces Deum paſtoribus annunciant eſſe, qui natus eſt. Nam cum diceret angelus: *Nolite timere, evangelizo vobis gaudium magnum; quod erit omni plebi: quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David. Et hoc vobis ſignum*, addidit: *invenietis infantem pannis involutum.*" Quid eſt vero, quod angelus dicit: *in civitate David*, cuius regia erat urbs Hieroſolymitana tam ſplendida ac dives, ut ſub Salomone Davidis filio argentum veluti lapides in plateis computari videretur?

Sed neminem latet, quomodo David ex Bethlehem ortus ad ſolium evectus ſit. Factus rex ex paſtore cum ſceptro baculum paſtoritium commutavit. Quis igitur non admirabundus ſuſpiciat, et adoret ſimplices perinde ac imbecilli obtutui noſtro ſtupendas divinæ ſapientiæ vias. Filius Dei, Dominus dominantium naſcitur in ſtabulo, et reponitur in præſepe pecorum, omnis humanæ opis expers, excluſus omni contubernio, concubia nocte: dumque dormientibus cæteris, ſoli vigilant paſtores,

a) *Serm. XIX. edit. Auguſt. an.* 1757. *p.* 190.

CAPUT XI. ad hos quoque ſolum Evangelium nati Salvatoris factum eſt. Reges ſedent in ſolio, Auguſtus tunc imperator in ſummo faſtigio Imperii Romani, quartæ apud Danielem deſignatæ monarchiæ: milites in campo, caſtris aut præſidio orbem ſub uno principatu continentes, dum rex regum et Dominus dominantium naſcitur lapis ille coloſſum monarchiarum abſciſſus de monte ſine manibus humanaque opera ſubruiturus: ſacerdotes ſtant ad altare Judæi Romano quidem Imperio ſubiecti, in templo tamen ſplendidiſſimo orbis miraculo, omni ordinis levitici perfunguntur ceremoniarum pompa, dum naſcitur ſummus ſacerdotum ſacerdos et victima offerens et oblatio figuris teſtamenti veteris, per novum in ſanguine ſuo, finem impoſiturus: Quivis incola ſive in urbibus mœniis clauſis, ſive in vicis apertis de nocte dormiunt in domibus ſuis; illi etiam, qui de die in ſudore vultus ſui veſcentes panem præprimis maledictum Adami ſentiunt, in adventu Adami ſecundi quieſcunt concubia nocte; ſoli tunc erant paſtores *in regione eadem vigilantes, et cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum;* ad hos igitur vox angelica fit, quorum unus patriarcha Jacob, in cuius domo regnaturus virgini matri denunciatur naſciturus infans, de ſe *die noctuque*, ait *a*), *æſtu urebar et gelu*,

a) *Gen.* XXXI. 40.

fugiebatque ſomnus ab oculis meis. Clamat Isaias *Custos quid de nocte? custos quid de nocte? Dixit custos: Venit mane et nox. Si quæritis, quærite: convertimini, venite a).* Ecce fecerunt hoc naſcente ſalvatore, paſtores cuſtodes in nocte. Ex eodem Isaia propheta Matth. XII. 18. etc. nobis Chriſtus puer deſcribitur: *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, et iudicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quaſſatam non confringet, et linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium: et in nomine eius gentes ſperabunt.* Hæc ad Eccleſiam ex gentibus pertinent congregandam ſponſam illam, de qua filias Jeruſalem adiurat ſponſus, ne evigilare faciant ſponſam, *donec ipſa velit.* Solis paſtoribus vigilantibus denunciatur Salvator mundi, quorum conditioni infans in ſtabulo natus, et in præſepi reclinatus congruit. Hæc si denunciata eſſent magnatibus huius ſæculi, et ſapientibus, fuiſſent tunc ludibrio excepta; dum chriſtiani nos, qui exemplum hoc humilis Filii Dei præ oculis habemus et admiramur, tam tardi ad imitandum ſumus. Tandem erubeſcat homo eſſe ſuperbus propter quem factus eſt humilis Deus. Diſce ab incarnato Verbo in humilitate veram ſublimitatem et gloriam.

a) *Isai. XXI.* 11.

Caput XII.

CAPUT XII.

GLORIA IN EXCELSIS, ET IN TERRA PAX.

Et ſubito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. II. 13. 14.

Gloria Verbi divini incarnati pastoribus denuntiata,

Infinitæ gloriæ divinæ, quam in se ab æterno cum unigenito filio habuit, uti nihil detrahi in se, ita nihil accedere in rebus creatis potuit: Christus homo factus, Verbum incarnatum ſtatu exinanitionis novo ſtupendo et incomprehensibili modo id meruit, ut a multitudine militiæ cœlestis laudantium Deum gloria in Altissimis Deo θεοπρέπως, audientibus pastoribus resonaret, et in terra pax hominibus: *quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians ſibi*, ut ait Apostolus II. Cor. V. 19. Idem Coloss. I. 26. *mysterium* hoc extollens, *quod absconditum fuit*, ait, *a ſæculis et generationibus, nunc autem manifestatum est ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus, quod est Christus, in vobis ſpes gloriæ.* Sic mox vult eos venire *in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu*,

in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ absconditi. Ad Christum natum usque, cœli quidem annuntiaverunt gloriam Dei, quæ unus ac ſolus est ac esse debet creatarum rerum omnium finis, a quo tamen desciscens ad creaturas homo iam in paradyso se convertit, indeque pulsus, eousque a fine hoc ultimo aberravit, ut abiecto etiam vero Deo falsos ſibi effingeret, quibus gloriam ſoli Deo debitam redderet: aut si verum Deum agnosceret, gloriam ei debitam perverteret, nec, quæ eo digna erat, redhibere posset, donec is in mundum venisset, qui Deus et homo gloriam Deo condignam præstaret, et Θεοπρέπως nos præstare faceret, ſibi, a quo eramus alienati, reconciliatos, reddita in terra pace hominibus. Pacem, quam etiam ſuis discipulis post resurrectionem reliquit, *non quomodo mundus dat*, eratque tunc quidem pax in orbe, a Romanis devicto, pax armis ac ſcelere parta, atque invitis, renitentibusque imposita, ipsi electo populo Dei in ditionem atque in ſervitutem redacto. Dum ecce adest, qui mittendus erat exspectatio gẽntium: *rex pacificus: princeps pacis:* ut iam non esset distinctio Judæi et Græci, Scythæ ac Barbari: pax hominibus bonæ voluntatis pastoribus denunciatur ab angelis.

CAPUT XII.

Et factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis angeli in cælum: paſtores loquebantur ad invicem: Tranſeamus uſque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes: et invenerunt Mariam, et Joſeph, et infantem poſitum in præſepio. Crediderunt paſtores voci angelicæ, ſuſceperuntque ceu ſibi divinitus factum verbum, quod Dominus oſtendit illis, invenientesque infantem in præſepio *cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Nihil eos offendit, nihil eorum fidei detraxit ſtabulum, in quo viles parentes infantemque poſitum in præſepio inveniunt, et quod vident, propalant, atque divulgant. *Et omnes qui audierunt mirati ſunt: et de his, quæ dicta erant a paſtoribus ad illos.*

Et in terra pax electis. Teſtimonium ergo reddiderunt primi evangeliſtæ paſtores, quod nato Salvatore, qui eſt Chriſtus Dominus, Deo, denunciata a multitudine exercitus cœleſtis gloria in Altiſſimis ſit redhibita, atque reſtituta in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Pax cœlum inter et terram, conſociantibus se cœli civibus bonis angelis hominibus bonæ voluntatis ac electis, reprobis cum reprobis angelis manentibus. Habet nempe textus græcus ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία in hominibus bona voluntas, beneplacitum, quam lectionem paſſim græci Patres ſequuntur; latini vulgarem. Antiquiſſimus græcus evange-

liorum codex Alexandrinus dictus Cantabrigienſis utriusque lectionis ſensum coniungit εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας, quandoquidem nobis Christus natus datus est reconciliationis divinique beneplaciti pignus. *Pacificavit enim*, iuxta apostolum *a*), *Jesus per ſanguinem crucis eius, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt. Omne bellum destruens et tumultum*, ut loquitur Didymus Alexandr. *b*) *Mox etenim in descensu eius et nativitate facta de virgine dictum est:* Gloria in excelsis Deo, et in terra pax. Quam ſententiam illustrans S. Gregorius M. „Prius quippe, inquit *c*), quam Redemtor noster nasceretur per carnem, discordiam cum angelis habuimus, a quorum claritate atque munditia per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta longe distabamus. Quia enim peccando extranei eramus a Deo, extraneos nos a ſuo consortio deputabant angeli cives Dei. Sed quia nos cognovimus regem nostrum, recognoverunt nos angeli cives ſuos. Quia enim cœli rex terram nostræ carnis assumsit, infirmitatem nostram illa iam angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt, et quos prius infirmos abiectosque despexerant, iam ſocios venerantur."

a) *Coloſſ. I. 20.* *b*) *In Epist. S. Petri I. enarrat. T. VI. Bibl. PP. p.* 293.
c) *In Evang. lib. I. hom. I. n. 2. T. I. p.* 1462.

Caput XIII.

CAPUT XIII.

NOMEN JESU.

Vocatum est nomen eius *Jesus*, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur. Luc. II. 21.

Cur non Emanuel, ſed Jesus vocetur.

Sunt, quod iam notavimus, qui locum illum Isaiæ: *Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emanuel*, etsi a S. Matthæo allatum, Christo tamen proprie convenire non putent, quod Jesus non Emanuel vocetur. Ac si vero, cum hoc ſit generalius nomen, et appellativum, Messiæ proprium et ſingulare Emanueli ſalutari nostro congruentius aliquod nomen esse potuerit, quam nomen Jesu, ad causam, cur nobiscum ſit Deus, indicandam. „Vocatum est plane, ſunt verba S. Bernardi *a*), non impositum, nempe hoc ei nomen est ab æterno. A natura propria habet, ut ſit Salvator: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humanà vel angelica creatura. Sed quid dicimus, quod egregius ille propheta hunc ipsum puerum multis nominibus appellandum fore prædicens, hoc unum tacuisse videtur, quod ſolum (ut præmonuit angelus, et testatur Evan-

a) *Serm. II. in circumcis. n.* 3. *T. III. p.* 791.

gelista) *vocatum est nomen eius ?* Exsultavit Isaias, ut videret diem hunc: et vidit, et gavisus est. Denique et loquebatur gratulabundus, et laudans Deum. " *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, et factus est principatus ſuper humerum eius; et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* „ Magna quidem nomina: ſed ubi est nomen, quod est ſuper omne nomen, nomen Jesu, in quo omne genu flectatur ? "

Caput XIII.

Vis ac etymon nominis Jesu.

Nomen hoc (quod hebraice ſcribitur in lege et prophetis: יהושע in hagiographis contracte ישוע interpretanturque græci interpretes, Siracides, Josephus et Philo Ιεσῦν) in veteri testamento habuerunt in figura duo insignes liberatores populi Israelitici: quorum alter populum post mortem Moysis in terram Chanaan deduxit, alter eum eodem e captivitate Babylonica reduxit. Talem tunc Judæi imperio iam Romano ſubiecti Josue, Jesum præstôlabantur, Messiam ſceptro de Juda ablato, libertatis vindicem, qui vero non tantum restitueret regnum Israel in promissa patribus terra Chanaan, ut Josue ille victoriosus dux exercitus Israelitici, ſed qui etiam armis invictus ſceptro ſuo ſolioque David virtute bellica nationes cæteras triumphator ſubiice-

ret, dominareturque; cum contra Jesus noster nomen acceperit, ut ſalvum faceret populum ſuum *a peccatis eorum*, ſalus populorum. „Habuit, ut cum S. Bernardo loquar *a*), et Judæa quosdam Jesus, quorum vacuis gloriatur vocabulis. Illa enim nec lucent, nec paſcunt, nec medentur. Idcirco ſynagoga in tenebris est usque adhuc, fame et infirmitate laborans; et non ſanabitur nec ſatiabitur, quousque ſciat meum Jesum dominari Jacob, et finium terræ, et convertatur ad vesperam, et famem patiatur ut canes, et circumeat civitatem." Sic S. Bernardus, mirifice hoc nomine delectatus, varimode passim id in ſuis ſermonibus est interpretatus prout græci Patres ex ſua lingua ethymologiam effinxerunt, addideruntque hebraicæ. „Jesus itaque, ut loquitur S. Cyrillus Hierosolimitanus *b*), iuxta Hebræos ſalvatorem ſonat, in lingua vero græca eum, qui ſanat, quandoquidem animarum est et corporum medicus, et ſpirituum curator." Et brevius ſupra *c*): „Jesus nominatur congruo ſibi nomine, ab ſalutari medicina appellationem habens." Veluti coniungens genuinum ſenſum, quem angelus Josepho in ſomnis declaravit *d*): *vocabis nomen eius Jesum: ipse*

a) *Serm. XV. in Cant. n.* 8. *T. IV. p.* 1312.
b) *Cathech. X. n.* 13. *p.* 143. *c*) *Ib. n.* 4. *p.* 138.
d) *Matth. I.* 21. *Luc. II.* 11.

enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Σώσει habetur in græco textu, unde Σωτήρ. Indignatus invehitur Cicero in Verrem, quod hoc nomen uſurparit inſcriptione quadam Syracuſis ſibi poſita: *Hoc*, ait *a*), *quantum eſt! ita magnum, ut uno latino vocabulo exprimi non poſſit. Is eſt nimirum Soter, qui ſalutem dedit.* Hoc eſt, quod nos omnino in Chriſto Jeſu agnoſcimus, unique omnem ſalutem noſtram in acceptis ferimus, atque cum Maria matre eius *in Deo ſalutari* noſtro exultamus; ut quisque cum propheta dicat: *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jeſu meo.* Niſi enim Jeſus ſimul eſſet Deus, non poſſet eſſe Jeſus ſeu Salvator noſter, ut ſe condignam cœleſti Patri ſuo pro ſalute noſtra offerret hoſtiam placationis ac reconciliationis, mediator inter Deum et homines: quod quomodo eſſe poſſet, ſi ipſe merus homo ſimul mediatore indigeret, aut ſolum Deus, medium inter ſe Deum et homines non haberet? *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemtionem ſemetipſum pro omnibus b*). Non ſic Joſue dux populi Iſraelitici bellator fortis ſalvavit populum ſuum, ut *per ſemetipſum* Jeſus eſſet ac dici poſſet, ſicut Jeſus Salvator ac Deus noſter *c*): *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe*

a) *Or. II. n.* 63. *b*) *I. Tim. II.* 5. *c*) *Phil. II.* 6.

CAPUT XIII. *æqualem Deo: ſed ſemetipsum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est ſuper omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum:* ut nimirum per incarnati Verbi mysterium natura humana divinæ in una hypostasi idem homo ſit, et adoretur Deus, de quo propheta *a*): *Deus ipse veniet, et ſalvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Quæ testantur de Christo Jesu Evangelia, ſimulque de eius discipulis, in eius nomine eadem facientibus. Quod et testatus est post eius resurrectionem Petrus Judæis, dum claudum feciſset ſicut cervum ſalientem *b*): *Notum ſit omnibus vobis, et omni plebi Israel: Quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus ſuscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis ſanus. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: et non est in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen est ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

a) *Isai. XXXV.* 5. *b*) *Act. IV.* 10.

CAPUT XIV.

CAPUT XIV.

MAGI CHRISTUM ADORATURI EX ORIENTE ADVENIUNT.

Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam dicentes: *Ubi eſt, qui natus eſt rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, et venimus adorare eum.* Matth. II. 1. 2.

Videntes ſtellam eius in Oriente.

„Unus et idem Deus, ſunt verba S. Irenæi L. III. de hæres. c. 9. qui a prophetis prædicatus eſt, et ab Evangelio denuntiatus, et huius Filius, qui ex fructu ventris David, id eſt, ex Maria virgine, et Emmanuel: cuius et ſtellam Balaam quidem prophetavit: Orietur ſtella ex Jacob, et ſurget dux in Iſrael.“ Numer. XXIV. 17. (ubi hæc habetur prædictio quam alii quoque SS. Patres de Chriſto Meſſia interpretantur) pro *Dux* legitur *virga de Iſrael*, virga nimirum virtutis ſuæ, quam iuxta pſalmiſtam emiſſurus erat Dominus ex Sion, ut dominetur in medio inimicorum ſuorum, ut mox ſequitur l. c. Num. XXIV. 19. *De Jacob erit, qui dominetur, et perdat reliquias civitatis*, Hieruſalem nimirum exci-

Caput XIV.

dendæ postquam ablato ſceptro de Juda reiectisque perfidis Judæis implenda iam in gentibus erat prômissio a Deo patriarchæ Jacob facta de qua egimus c. VIII. aderantque mox nato Domino magi veluti incunabula regni in domo Jacob in dispersione gentium *dilataberis ad Occidentem, et Orientem, et Septentrionem, et Meridiem, et benedicentur in te, et in ſemine tuo cunctæ tribus terræ a)*. Quam promissionem acceperat, cum ex promissa ſimul terra Chanaan exiturus erat per plures annos commoraturus in Mesopotamia (unde Magi hi advenisse creduntur) ductis etiam ibi uxoribus b), non ſine numine cavente patre Isaac, ne Chanaanitidem ſibi coniungeret, terra illa promissa quidem, diris aliquando tamen devovenda: quam etiam ſenex postea Jacob cum tota familia ſua iterum relicturus erat in Ægyptum migrans: apud exteras gentes constituta domo Jacob, in qua aliquando Messias regnaturus erat inter gentes orta ſtella ex Jacob de qua Magi: *Vidimus ſtellam eius in Oriente, et venimus adorare eum.*

Sublimis Magorum de Christo theologia.

Magos in rege Judæorum Christo Jesu, nato excelsius aliquid homine, atque divinum agnovisse, vetustissima est SS. Patrum doctrina, qua confundebant Judæos, de Messia ſuo non nisi terrena ſapientes:

a) *Gen.* XXVIII. 14. b) *Ib.* 1.

„Deductos, dicit S. Irenæus a), a ſtella in domum Jacob ad Emanuel, per ea, quæ obtulerunt, munera ostendisse, quis erat, qui adorabatur: myrrham quidem, quod ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur, et ſepeliretur: aurum vero, quoniam Rex, *cuius regni finis non est*; thus vero, quoniam Deus, qui et *notus in Judæa factus est*, et manifestus eis, qui non quærebant eum.“ Alias huiusmodi mysticas interpretationes passim legere est apud SS. Patres. Nec ſolum munera, ſed et tota ſuſcepti a Magis itineris ratio, adorandi natum regem, aliquid augustius ostentat, quam ſolum homini regi præstandi homagium; thus imprimis in cultu divino constanter ubique gentium adhiberi ſolitum: firmata excelsa magorum existimatione, per acceptam divinitus in ſomnis admonitionem, ne se deceptos opinione ſua ſuſpicari possent, dum coram infantem cum parentibus imbellem, pauperem et ignobilem in cunis cernerent.

S. Chrysostomus „Quid illos, quærit de Magis b), ad puerum adorandum induxit? neque enim virgo insigne quidpiam præſeferebat, neque domus magnifica erat,

a) *Lib. III. contra hæres. c. 9.*
b) *Hom. VIII. in Matth. n. 1. T. VII. p. 118.*

neque isthic aliquid aliud erat, quod poſſet illos vel percellere, vel allicere. Illi vero non modo adorant, ſed apertis thesauris ſuis munera offerunt; munera inquam, non quasi homini, ſed quasi Deo. Thus enim et myrrha Dei maxime ſymbolum erat. Quid igitur hoc illis ſuasit? Id ipsum quod excitavit illos, ut relicta domo tantum iter ſusciperent, nimirum ſtella, et illustratio mentis a Deo ipsis indita, quæ paulatim illos ad perfectiorem notitiam deduxit. Nisi enim res se ita haberet, cum omnia, quæ isthic videbantur, vilia eſſent, non ei tantum exhibuiſſent honorem. Ideo autem nihil eorum, quæ ſub ſensum cadunt, ibi magnum erat, ſed præsepe, tugurium, mater inops, ut nudam magorum philosophiam perspicias, atque discas, eos non ut hominem purum, ſed ut Deum et beneficum ipsum adiiſſe. Quapropter nullo eorum, quæ extrinsecus videbantur, offensi ſunt, ſed adoraverunt, et dona obtulerunt, quæ dona multum a Judaica craſſitie differebant. Neque enim oves et vitulos immolarunt, ſed quæ eccleſiasticæ philosophiæ vicina erant. Siquidem ſcientiam, obedientiam, et dilectionem ipsi offerebant." Vides hic ſanctum Doctorem non ad ſpecies munerum attendere, ſed altius nos a rebus ſensibilibus ſublimiusque ad id evehere, quod hic in Magis gentilibus auspicium habuit, a Chri-

sto mulieri Samaritanæ prædictum a): *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem . . . Sed venit hora, et nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu et veritate.* Tempus hoc eſt, quando reiecta Synagoga, ac templo Jeroſolymitano Eccleſia per orbem terrarum fuit conſtituta, cuius veluti primitiæ fuerunt Magi: Paſtores autem, qui Chriſtum in præſepio adoraverunt, natumque Salvatorem mundi primi divulgaverunt, præibant apoſtolos aliosque Chriſti diſcipulos ab eo ex Judæis aſſumtos, qui lucem evangelicam orbi inferentes gentiliſmi tenebras effugarunt, quam lucem ſtella magis apparens et ad Chriſtum in præſepio deducens, deſignabat. „Quomodo ergo, cum S. Ignatio M. quærere licet b), manifeſtatus eſt ſæculis? Stella in cœlo fulſit, ſplendore exſuperans omnes ſtellas, et lux illius ineffabilis erat, et ſtuporem incuſſit ipſius novitas. Omnia autem reliqua aſtra, unacum ſole et luna chorus fuere ſtellæ: ipſa vero lumen ſuum extendebat ſuper omnia: et perturbatio erat, unde prodiret illis novitas diſſimilis: quare ſoluta eſt omnis magia, et omne vinculum malitiæ eſt abolitum, ignorantia deſtructa eſt, vetus regnum eſt labefacta-

Caput XIV.

a) *Jo. IV. 21.* b) *Epiſt. ad Epheſ. n. 19.*

tum; Deo humanitus manifeſtato, in novitatem vitæ æternæ. Principatum vero accepit id, quod a Deo omnibus ſuis partibus abſolutum erat. Inde omnia commovebantur, quod meditaretur mortis abolitionem." Notandum imprimis eſt in hoc loco, quod S. Martyr, illi ætati proximus, de præcellentia et claritate ſtellæ illius perhibet. Cætera cum Evangelio concordant, prout Matth. II. 3. narratur, Herodem regem, et omnem Hieroſolymam cum illo, ſciſcitatum, ubi Chriſtus, quem ille regni ſui æmulum timebat, naſceretur. Atque hinc edoctus in Bethlehem Judæ occidit pueros in omnibus finibus eius, cum familia David lateret; Chriſti vero eſſet ea conditio, inde etiam, quod in Nazareth habitaret, ut potius Elias aut Jeremias, aut alius ex prophetis quam Meſſias promiſſus rex Iſrael crederetur poſtea ab Herode tetrarcha Galilææ.

CAPUT XV.

PROPHETIA SIMEONIS DE CHRISTO; ANNA PROPHETISSA.

Benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem eius: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, et in reſurrectionem multorum in Iſrael: et in ſignum, cui contradicetur. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetiſſa etc.* Luc. II. 34. 35.

Dum Magi reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam; ſubdit Matthæus fugam Chriſti *a*), iuſſo in ſomnis Joſeph ſurgere et accipere puerum et matrem eius, et fugere in Ægyptum: *futurum eſt enim*, aiebat angelus, *ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum*. Cum fugam hanc factam eſſe neceſſe ſit poſt purificationem Mariæ in templo, hic Maria mater Jeſu experimentum aliquod habebat eorum, quæ futura a Simeone audierat. In magis iam primordia eorum viderat, quæ idem ſenex, benedicens Deum, fauſta præ-

Evangelii ad gentes deferendi denuntiatio continua inde a Chriſto nato.

a) *Matth. II.* 13.

Caput XV. dicit, in ulnas ſuas accipiens Jesum, ac iam dimitti, morique in pace deſiderans: *Quia*, inquit, *viderunt oculi mei ſalutare tuum. Quod paraſti ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.* Hæc nos impleta gaudemus ante faciem omnium populorum, ad gloriam plebis Dei Israel. Nempe *qui*, iuxta apostolum *a*), *ſunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obſequium, et promiſſa: quorum patres, et ex quibus est Christus ſecundum carnem... Sed ſicut non omnes, qui ex Israel ſunt, ii ſunt Israelitæ*, ut apostolus pergit, id est, *non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, æstimantur in ſemine*, ita etiam iis, qui reiectis perfidis Judæis ſunt adoptati, contingit. „Vides (commentatur S. Ambroſius in h. l. *b*) Nunc dimittis ſervum tuum) uberem in omnes gratiam Domini generatione diffuſam, et prophetiam incredulis negatam eſſe, non iustis. Ecce et Simeon prophetat in ruinam et reſurrectionem plurimorum veniſſe Dominum Jesum Christum; ut iustorum iniquorumque merita diſcernat, et pro nostrorum qualitate factorum iudex verus et iustus aut ſupplicia decernat, aut præmia.“

a) *Rom. IX.* 4.

b) *Expoſit. in Lucam Lib. II. n.* 60. *T. I. p.* 1301.

Ad B. Mariam verba faciens Simeon, dirigenſque prophetiam: *Ecce poſitus eſt hic*, inquit, *in ruinam, et in reſurrectionem multorum in Iſrael: et in ſignum, cui contradicetur: et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Uti vero B. Maria potiſſimum ſub cruce experta eſt gladium, qui pertranſivit animam, ita deinceps etiam impleri vidit prophetiam de ſalutari, quod paratum fuerat ante faciem omnium populorum. Hæc læta ſunt, quibus triſtia miſcet propheta in eo, quod poſitum dicit ſuum filium *in ruinam et reſurrectionem multorum, et in ſignum cui contradicetur*, quod præſertim ad ea, quæ deſignanda erant a gente Judaica, pertinet, dum tamen ſalutare Dei ad gloriam etiam plebis Iſrael paratum eſſe dicit, prophetia, ut ſperatur, demum in fine temporum ultimatum complementum in converſione gentis Judaicæ habitura, quando viciſſim fides apud alias gentes deficiet. Sic ſemper lætis triſtia miſcentur, ſucceduntque. Id quod perpendens Theodotus Ep. Ancyranus, multa ad rem ediſſerit in ſermone in Deiparam et Simeonem *a*), „At enim, exclamat, quid lætis triſtia miſces o Senex? Hactenus *lumen* et *gloriam* loqueris, nuncque *ruinam* annuntias, ac parenti *gladium* palam edicis? Maxime, inquit: erunt omnia ſuo tempore: ruina quidem infidelibus,

a) *T. IX. Bibl. PP. p.* 467.

CAPUT XV. fidelibus autem resurrectio. *Et in ſignum cui contradicetur* late per orbem; quod nimirum apertis probationibus ac virtutibus non levitate ab hominibus recipiendum ſit; ſed et virginalis animi tui erit quandoque tormentum ex variis cogitationibus ſubeuntibus, ac exeuntibus. Neque enim de minimis res erit; ſed de Deo, de morum legumque translatione, de mutatione hominum, de unione populorum, de concordia gentium, de adunatione linguarum, de indiviſa religione, de destructione tyranni. Quei vero fieri queant isthæc ſine ſtrepitu? Idcirco cadent alii, alii reſurgent; alii vita donabuntur, alii mortem incurrent. Atque alii quidem ſigno contradicent pro eius novitate, alii efficaciæ eius virtuti ſuccumbent. Sunt igitur a iusto relata ſumme conſpicua, eventu ipso comprobata."

Quod porro paulo ſupra Cap. XI. notavimus, cur ſolis pastoribus Christus natus fuerit annuntiatus, hic iterum est animadvertendum. Etsi hic ageretur cærimonia legalis in templo *a*), *postquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moysi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſisterent eum Domino*, nemo tamen ſacerdotalis vel levitici ordinis, ceu propediem antiquandi agnovit Christum tunc exſpectatum Meſ-

a) *Luc. II.* 22.

ſiam; ſed *homo in Jeruſalem, cui nomen Simeon, et homo iste iustus, et timoratus, exſpectans consolationem Israel, et Spiritus ſanctus erat in eo a)*. Ab hoc nempe illustratus ſpem ſuam ſupra figuram et opera legis efferrens Meſſiam præstolatus *in iustitia et ſanctitate* Deo ſerviebat. Sic etiam Anna prophetissa, memoratur, postquam *vixerat cum viro ſuo annis ſeptem a virginitate ſua b)*, ſervasse instar Judith heroissæ continentiam, asceticamque ac ceu monasticam egisse vitam *ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, ieiuniis et obsecrationibus ſerviens nocte ac die. Et hæc, ipsa hora ſupervenìens, confitebatur Domino: et loquebatur de illo omnibus, qui exſpectabant redemtionem Israel*, apostolico, ut Cap. XI. de pastoribus vidimus, munere perfuncta. Notanter Anna hæc prophetissa de tribu Aser dicitur, una ex decem illis tribubus, ex quibus regnum Israeliticum constabat: quod dudum, antequam Juda et Jerusalem in captivitatem abducerentur, penitus cessavit capta a Salmanasar rege Ninivitarum Metropoli Samaria, tribubusque, quas Teglatphalassar necdum in captivitatem deduxerat ultra Euphraten translatis. Dum ecce Judæis quidem ex captivitate Babylonica restitutis, at iamiam ſceptro a Juda ablato, Christoque nato, atque in templo præsen-

a) *Luc. II. 25.* b) *Ib. 36. etc.*

Caput XV. tato adest Anna prophetiſsa de tribu Aſer filii Jacob, confeſsa Domino, Chriſtum Meſsiam profeſsa, et locuta de illo omnibus qui exſpectabant redemtionem Jſrael. De domo Jacob ſcilicet prout virgini Mariæ denunciatus fuerat naſciturus ex ea filius regnaturus *in domo Jacob in æternum, et regni eius non erit finis.* Ut ſupra cap. VIII. vidimus ampliſsimam benedictionem patriarchæ Jacob datam, de qua etiam Eccli. XLIV. 25. *Benedictionem omnium gentium dedit illi* (Jacob) *Dominus*, ne videretur opinione Judæorum ſedes regni David in monte Sion figenda in terris, cum eſset Chriſtus regnaturus in domo Jacob in æternum, in cuius ſemine benedicendæ erant omnes gentes per Chriſtum, quem infantem in ulnas ſuas accipiens Simeon exclamat: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, Quod paraſti ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Iſrael.*

CAPUT XVI.

JESUS IN MEDIO DOCTORUM IN TEMPLO.

Invenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia et responsis eius; et videntes admirati ſunt.* Luc. II. 46. 47.

Myſterium infantiæ Christi.

Animadverte, nihil hic egiſſe Jesum duodennem, quod ſupra ætatem admodum esset in eo, quod ſedens in medio doctorum auscultaverit eos, et interrogaverit; ſic autem respondit ad quæstiones ſibi propoſitas (quod extraordinarium quidem, ſed alienum omnino non est ab ætate) ut ſtuperent omnes ſuper prudentia et responsis eius. *Et videntes admirati ſunt.* Sic iam ſupra retulimus, omnes qui audierant miratos esse, de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. *Maria autem*, ſubdit mox Evangelista, *conservabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Viden', differentiam Mariam inter et ſtuporem doctorum, eorumque omnium, qui et Jesum audierant in templo, nec tamen conservabant verba conferentes in corde ſuo, et ideo evanescunt mente,

CAPUT XVI. ac quæcunque alia adhuc multo magis ſtupenda ſunt dicta miracula de Chriſto infante, excidunt memoria eorum, natusque Salvator in obſcuro manet et oblivione. „Non ſolum, ſunt verba S. Ambroſii *a*), ab angelis et prophetis, a paſtoribus et parentibus, ſed etiam a ſenioribus et iuſtis generatio Domini accipit teſtimonium. Omnis ætas, et uterque ſexus, eventorumque miracula fidem adſtruunt. Virgo generat, ſterilis parit, mutus loquitur, Eliſabeth prophetat, Magus adorat, utero clauſus exultat, vidua confitetur, iuſtus exſpectat."

Maria conſervat omnia conferens in corde ſuo: Pater et Mater in admiratione ſunt, ſuper his, quæ dicebantur de illo, et fiebant. Audiunt angelos, vident paſtores, Magosque adorantes, percipiunt prophetas Simeonem et Annam: inveniunt in templo puerum, dum omnes ſtupent prudentiam, et reſponſa eius; ipſi religioſo apud ſe ſilentio omnia tenent, et admirantur, cauſas non diſcutiunt, nihil curioſe diſquirunt, rerum altitudinem non temere indagandam ſuſcipiunt, ſed myſterium reverenter conſiderant, contenti magnitudine eorum, quæ operatur Dominus, quæ vident et audiunt, in admiratione manent, humilique ignorantia et ſilentio de rebus

a) *Expoſ. in Luc. Lib. II. n.* 58. *T. I. p.* 1301.

myſteriiſque incomprehenſibilibus non plus ſcire, aut ſapere affectant quam oportet. Eſt hoc ſublime in Evangelio Chriſti, quod non curioſius perſcrutandum, aut temerarie diiudicandum ſuſcipias, ſed pie credendum, reverenter ſuſpiciendum, adorandumque, religioſe cuſtodiendum, conſervandumque in corde ſit. Caput XVI.

Liceat tamen ictum oculi coniicere in Jesu* infantiam, profectumque ætatis, de quo Evangeliſta *a*): *Puer autem*, ait, *creſcebat, et confortabatur, plenus ſapientia: et gratia Dei erat in illo*, id quod etiam de amabilitate ac formæ venuſtate interpretantur phraſi Hebraica: uti illud Act. VII. 20. ubi Moyſes *gratus Deo* iuxta vulgatam dicitur in textu græco ἀστεῖος τῷ Θεῷ, quem vero Joſephus appellat in antiquitatibus Judaicis *b*) μόρφη θεῖον; de Jeſu autem legitur apud Lucam χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτό. Gratia Dei erat in eo, plenus vero ſapientia utique inſtitutione humana dici non potuit, quem ætate profectum annorum triginta, cum iam munus prædicationis obiret docens in templo *c*): *Mirabantur Judæi dicentes: quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?* Chriſtum fabrili artificio operam dediſſe Joſeph nutritio, Juſtinus M. apoſtolicis temporibus auctor propinquus teſtatur: *Hæc*

a) *Luc. II.* 40. *b*) *Lib. II. c.* 9. *c*) *Jo. VII.* 15.

 enim, inquit, *fabrilia opera faciebat, cum inter homines verſaretur, aratra et iuga, his rebus etiam iuſtitiæ inſignia et vitam actuoſam docens.* Juſtitiæ inſignia ſunt, quibus nobis per omnia ſimilis factus eſt abſque peccato, *vitam actuoſam docens* ſecundus hic Adam illam, ad quam primus, paradyſo voluptatis expulſus, eſt condemnatus, ut in ſudore vultus ſui comederet panem ſuum, victitans labore manuum ſuarum: quam Chriſtus ad trigeſimum usque vitæ ſuæ annum traduxit paupere in domo, non habens, ut poſtea conteſtatus eſt, ubi caput ſuum reclinaret.

Quis vero non intimo animi ſenſu, ac tenerrimo cordis affectu ſibi ob oculos mentis ponat abſconditam hanc Chriſti vitam, ac familiam beatiſſimam, Jeſum cum Maria matre, et patre, ut putabatur, Joſeph? A prima infantia puerum creſcentem et confortatum, ut poſſet fabriles operas fabricator orbis præſtare atque ſuppetias nutritio ad victum egenæ familiæ. Quis non ſaltem quadantenus aſſequi cogitatione geſtiat ſanctiſſimæ huius familiæ convictum, colloquia, ac mutuam vitæ converſationem: pia filii in parentes, et parentum in filium ſtudia, curam et ſollicitudinem: officia charitatis in concives ac religionis in Deum *in omnibus mandatis et iuſtificationibus Domini*, quomodo de Zacharia

et Elisabeth memoratur *a*), quod eſſent *iuſti ambo ante Deum;* de parentibus autem Jeſu *b*), qui *ut perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth*, hoc unum Evangeliſta commemorat, iviſſe parentes eius per omnes annos in Jeruſalem in die ſolemni Paſchæ; moxque de Jeſu ſubdit: *Cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatisque diebus, cum redirent, remanſit puer Jeſus in Jeruſalem*, ubi aliquando completurus erat opus redemtionis noſtræ, finem imponens veteri Teſtamento, novumque inſtituens in ſanguine ſuo.

a) *Luc. I. 6.* *b*) *Ib. II.* 39.

Caput XVII.

CAPUT XVII.

QUOMODO CHRISTUS PARENTIBUS SUBDITUS PROFICIEBAT SAPIENTIA, ET ÆTATE.

Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me esse? et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth: *et erat ſubditus illis. Et mater eius conservabat omnia verba hæc in corde ſuo. Et Jesus proficiebat ſapientia, et ætate, et gratia apud Deum, et homines.* Luc. II. 48. etc.

Dei Patris Filius.

Multa apud Lucam de B. Maria virgine habentur, quæ apud alios Evangelistas non leguntur, nec apud ipsum Joannem, cui tamen Christus matrem in cruce moriens commendavit, ipseque accepit eam in ſua. Nec dubium est, quin S. Lucas ex ore B. Mariæ acceperit, quæ illa prius conservaverat in corde ſuo, ut de ea hic iam ſecundo testatur.

Pandam hic S. Augustini verbis myſterium in reſponſione Chriſti ad illa Mariæ verba, *Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te:* „At ille, inquit S. Doctor *a*), ut oſtenderet habere ſe præter illos Patrem, qui eum genuit, præter matrem, reſpondit eis: *Quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Et rurſum, ne hoc dicto parentes illos negaſſe putaretur, Evangeliſta adiunxit: *Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad illos.*" Necdum aderat tempus, ut ſeſe Chriſtus æterni Patris Filium manifeſtaret. Nec vero ante tempus indagandum ſeſe exiſtimaſſe eius munus a cœleſti Patre acceptum, etſi illis divinus ortus clam haud eſſet, palam facit confeſſio, ſe non intellexiſſe verbum: neque etiam, ut modo de ſublimi illo in Evangelio Chriſti notavimus, curioſe, aut temere ante tempus ſcire aut indagare contendebant, quæ filio in iis, quæ Patris ſui erant, eſſent agenda. CAPUT XVII.

Deſcendit vero cum parentibus, *et venit Nazareth, et erat ſubditus illis.* Quod perpendens S. Bernardus *b*), „utrinque ſtupor, exclamat, utrinque miraculum. Et quod fœminæ Chriſti hominis profectus cum ætate.

a) *Lib. I. de nupt. et concup. c.* 11.
b) *Homil. I. ſuper Miſſus eſt. n.* 7. *et* 8. *T. III. p.* 735.

CAPUT XVII. Deus obtemperet, humilitas abſque exemplo: et quod Deo fœmina principetur ſublimitas ſine ſocio... Erubeſce ergo cinis! Deus se humiliat, et tamen tu te exaltas?" Et alibi *a*): „O humilitas, virtus Christi! O humilitatis ſublimitas! quantum confundis ſuperbiam noſtræ vanitatis? Parum aliquid ſcio, vel magis ſcire mihi videor, et iam ſilere non poſſum, impudenter me et imprudenter ingerens et oſtentans, promtus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum."

Repetit mox: *JESUS proficiebat ſapientia, et ætate, et gratia*, quod paulo ante dixerat Evangeliſta, puerum autem creviſſe, et confortatum fuiſſe plenum ſapientia, et gratiam Dei fuiſſe in illo. Quomodo autem Christus profecerit, non eadem eſt, fuitque doctorum chriſtianorum ſententia. Quod per se palam eſt, quæſtionem ſolummodo eſſe poſſe de humana natura divinæ hypoſtatice unita in Chriſto, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ et ſcientiæ abſconditi b*), quomodo ſeſe per incrementa ætatis exeruerit, facitque ad ſublime illud in Evangelio Chriſti, *ut non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem c*) diſcamus, quandoquidem Chriſtum profeciſſe ſapientia et

a) *In Epiph. Serm. II. p.* 799. b) *Coloſſ. II.*
c) *Rom. XII.* 3.

ætate intelligimus. Habetur hæc XXXIV. inter quæſtiones a viris graviſſimis Cæſario fratri Gregorii Theologi Nazianzeni propoſita *a*): „Si perfectus Deus erat Chriſtus, quomodo *ſapientia et ætate ipsum proficere* dicit Evangelium?“ ſequitur ſimpliciſſima reſponſio hæc: „Non debemus illa applicare divinitati. Secundum illam enim neque creſcit, neque deficit; non minuitur, non fit glorioſior, non maior; non inſiſtit, non contrahitur. Proficit vero roboratus, et creſcens ſecundum naturam noſtram in ſervili forma.“ S. Amphilochius in excerptis variis eodem Tom. Bibl. PP. noviſſime Venetiis editæ ſic rem explicat *b*): „Proficiebat ſecundum ætatem: corpore ad firmam ætatem iuxta naturam producto. Sapientia: propter eos, quos ad ſapientiam componebat: Gratia; qua recreante proficimus: fide certi, fore ut conſummentur dicta ab ipſo de ſpe noſtra. Apud Deum: conſummavit enim opus Patris, aſſumta carne, et redemtis nobis. Apud etiam homines, quos ab idololatria ad divinam Trinitatis notitiam tranſtulit. Juxta hos ergo modos proficiebat, habetque verum. Non enim iuxta quod inſipientes exiſtimant, ab eo quod eſt deterius, in melius promovebat.“

a) *T. VI. Bibl. PP. p. 22. Edit. Venetæ.*
b) *Ibid. p. 500.*

CAPUT XVII. S. Gaudentius Brixienſis in reſponſione ad Paulum Diaconum *de eo, quod Dominus Jesus dixit apostolis, quia Pater maior me est:* „Idem, ait *a*), cœpit etiam eſſe filius hominis, qui in principio erat apud Patrem Filius Dei, utique Deus Verbum. Exinde per incrementa ætatis, creator temporum proficit in virum perfectum teſtante Evangeliſta: *Puer autem crescebat.*“ Marius Mercator varias in eandem rem refert aliorum SS. Patrum ſententias in operibus eius Bibl. Patrum T. VIII. inſertas contra Neſtorium p. 676. Imprimis vero p. 715. ex Cyrilli Alexandr. ſcholiis de Incarnat. c 13. ſequentia habet: „Et ſi dicatur *proficere Jesus ætate, et ſapientia, et gratia*, diſpenſationis id ratio eſt. Deus etenim Verbum humanitatem more ſuo proficere permittebat, et quaſi paullatim divinitatis ſuæ volebat gloriam declarare, et cum corporis ætate etiam ſuam extendere. Neque novum videatur, idque nonnullos nimia novitate perterreat, cum præſertim ſic quoque dicerent: *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Ergo corporale quidem eſt augmentum, et profectus gratiæ et ſapientiæ humanitatis magis menſuræ conveniat; ipſum vero Deum Verbum per ſuam naturam perfectiſſimam confitemur.“ Theodoretus in Epiſt. ad monachos: „Proficit porro, inquit *b*), ætate et ſapien-

a) *Serm. XIX. p.* 189. *b*) *T. IX. Bibl. PP. p.* 409.

tia non divinitas, quæ ſemper perfecta eſt, ſed humana natura, quæ tempore et extat, et augetur, et perficitur. Quocirca humana omnia Chriſti Domini, famem, inquam, ſitim, laborem, ſomnum, timorem, ſudorem, orationem, ignorationem et cætera id genus alia, noſtræ conſperſionis eſſe dicimus, quam aſſumens Deus Verbum uniit ſibi, noſtram operaturus ſalutem." Et poſtea in fragmento de Incarnatione. „Cum ergo, inquit *a*), audis, *proficiebat ſapientia et gratia*, ne factam illi ſapientiæ acceſſionem aliquam exiſtimes (Dei enim verbum nullius eget:) ſed quia videntibus ſapientius ſemper atque gratius erat, inde proficere dictum eſt; ut inde iam admirantium habitus, quam ipſius magis proficeret. Quod in aliquo proficit, aliud eſt ab eo, in quod proficit. Cum ergo Jeſus dictus ſit ſapientia proficere; non ſapientia proficiebat, ſed in illa animus hominis. Cum ſe enim quotidie Deitas in eo detegeret ac manifeſtaret, maiori ſemper videntibus admirationi habebatur. Hocque ſibi vult, quod dictum eſt, *proficiebat ſapientia.* Ad hunc modum ſapientia proficiebat humanitas; natura humana ſapientiam induens: hoc eſt, Dei Verbum paullatim per opera ac mirabiles effectus aſſumtum templum apud videntes Deificans, ea

a) Pag. 421.

Caput XVIII. ſibi ratione profectum adsciscebat. In hunc modum natura humana ſapientia proficiebat, per eam Deificata.“ Add. B. Bossuet Evêque de Meaux *Elévations ſur les Mystères* XX. Semaine. *La vie cachée de Jesus.* I. Elév. T. II. edit. Paris. an. 1772. p. 276. Dum vere Christus infirmitates nostras tulit, quidni etiam infantiæ ab utero matris ſuæ? Tanto insignius elucescit ſublimitas mysterii Verbi divini, percellitque mentem, quo amplius se prodit humilitas in ſtatu exinanitionis, nobisque se admirandam ad exemplum præbet.

CAPUT XVIII.

S. JOANNES PRÆCURSOR DOMINI.

Venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius.* Matth. III. 1. 2. 3.

Auſpicium missionis Christi Jesu veri Messiæ per S. Joannem præcursorem.

Observandum hic est ante omnia, S. Lucam nobis, quod caput est, de tempore venturi Messiæ iuxta prophetiam patriarchæ Jacob (ſcilicet non auferendum ſceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est) iam, ut ſupra vidimus, prænotasse, dum

edictum cæsaris Augusti memorat a), ut describeretur universus orbis, quando ſingulari Dei providentia factum est, ut Christus in Bethlehem nasceretur: quod est luculentissimum argumentum, pro Christo Jesu vero Messia, quippe qui adhuc in utero matris in ipsa urbe regiæ ſtirpis Dàvid Bethlehem iussis Augusti parens ſceptrum de Juda ablatum demonstravit ipse Christus Messias cum parentibus; idem tamen argumentum idem S. Lucas non minus luculenter, et adhuc dissertius depromit b), dum nobis auspicium missionis Jesu Christi Messiæ narrat in eius præcursore Joanne, de quo prius, enarrata eius plena miraculis nativitate, demum addit c): *Puer autem crescebat, et confortabatur ſpiritu: et erat in desertis usque in diem ostensionis ſuæ ad Israel*, ut nimirum esse Christum Messiam coram monstraret, demonstraretque: cuius demonstrationis caput erat, ablatum esse ſceptrum de Juda et ducem de femore eius, dum Christus, non de femore Juda, ſed de Maria virgine natus, tunc ostenditur, quando ad alienigenas delatum est ſceptrum, et ducatus, qui perstitit post captivitatem Babylonicam apud tribum Judam in Asmonæis, resumpto etiam ab Hircano diademate ſeu ſceptro, quem non ita multo post Herodi alienigenæ Idumæo Augustus

CAPUT XVIII.

a) *Luc. II.* 1. b) *Ib. III.* 1. c) *Ib. I.* 80.

CAPUT XVIII. cæsar dedit, cum iam eſſet Judæa in provinciam Romani Imperii reducta. Quæ omnia S. Lucas articulatim ediſſerens miſſionem Meſſiæ Chriſti ab eius præcurſore auſpicatus ſic infit *a*) : *Anno autem quinto decimo imperii Tiberii cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ, et Trachonitidis regionis, et Lyſania Abilinæ tetrarcha:* non paucos nempe poſt annos, dum Auguſtus poſt mortem Herodis M. regnum tribus illius filiis diſtribuit Archelao, Herodi antipæ, et Philippo; prior autem iam Viennam in exilium miſſus fuerat. Quare Herodis tantum hic et Philippi fit mentio, cum Lyſania tetrarcha Abilinæ parvæ provinciæ ad Libanum, unde Jordanis fluvius oritur, quem Joannes baptizando obibat, poſtquam factum eſt verbum Domini ſuper eum in deſerto. *Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ſicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ prophetæ: Vox clamantis in deſerto parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius: Omnis vallis implebitur; et omnis mons et collis humiliabitur: et erunt prava in directa, et aſpera in vias planas. Et videbit omnis caro ſalutare Dei b*).

a) *Luc. III.* 1. *b*) *Ib.* 3. *etc.*

CAPUT XVIII.

S. Joannes Baptista vox Verbi divini incarnati.

Paradoxa eſſe debebat Judæo vox hæc clamantis in deſerto, provocantis ad agendam pœnitentiam, exemplo quoque ſuo vitæ tam auſteræ, et ab omni hominum conſortio remotæ. Coram cernebant Judæi Romanam tunc adultam iam quartam apud Danielem adumbratam monarchiam, quæ erat conterenda per Meſſiam, cuius regnum per univerſum orbem tam ſplendide deſcribitur Daniel. VII. *Dedit ei poteſtatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus, et linguæ ipſi ſervient: poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur: et regnum eius, quod non corrumpetur.* Hæc vero nobis de regno Chriſti perſpicua ſunt, quæ coram cernimus in Eccleſia diffuſa per orbem, Judæis ſolis non perſuaſis, qui ſperant, ac tunc maxime ſperabant Meſſiam venturum, alias omnes potius excifurum gentes, quotquot legi ſuæ non obſequerentur, inſtituturum inter ſuos ampliſſimum regnum, reſtituturum aurea tempora, liberaturumque Iſraelem a iugo ethnico, quo iam ipſi ſub Romano Imperio premebantur, in quo etiam tunc, ut ex Suetonio in Veſpaſiano diſcimus, percrebuit Oriente toto vetus et conſtans opinio, *eſſe in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.*

Miſerunt equidem Judæi Jeroſolymis ſacerdotes et levitas ad Joannem interro-

gantes, an eſſet Chriſtus, an Elias, qui præiturus erat Meſſiam, an alius propheta? Eo autem hæc omnia abnuente a), *dixerunt ergo ei: quis es, ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos? quid dicis de te ipſo? Ait: Ego vox clamantis in deſerto: dirigite viam Domini, ſicut dixit Isaias propheta.* Locum hunc Isaiæ XL. 3. ad unum Evangeliſtæ omnes de S. Joanne præcurſore Domini accipiunt, nec concinnius aliquid ſublimiusque excogitari potuit ad deſignandum eius officium. Rem SS. Patrum verbis explicabimus, qua ratione S. Joannes ceu vox, quæ, ad exprimendum verbum ſeu conceptum mentis comparata eſt, ceu vox inquam pertranſiens Verbum æternum in mundum veniens prænuntiaverit. S. Auguſtinus altius rem repetit ab ipſo muto Zacharia Joannis patre: „Hoc, inquit Serm. VII. de S. Joanne b), „quod factum eſt, refer ad ſignificationem rerum, et vide magnum myſterium. Zacharias tacet, et amittit vocem, donec Joannes naſceretur præcurſor Domini, et aperiret vocem. Quid eſt ſilentium Zachariæ, niſi prophetia latens, et ante prædicationem Chriſti quodammodo occulta et clauſa? Aperitur illius adventu, clara fit venturo eo, qui prophetabatur... Solvitur lingua, quia naſcitur vox:... vox Joan-

a) *Jo. I. 22. etc.*
b) *Serm. CCXCIII. n. 2. T. V. p. 1176.*

nes, Dominus autem *in principio erat Verbum*: Joannes vox ad tempus; Christus Verbum in principio æternum." Rem conspicue imprimis, ac luculenter S. Augustinus Serm. de Jo. Bapt. explicat: De voce et verbo *a*). „Scripturæ ſanctæ Verbum, alibi ait, esse definiunt, quod intra animi ſilentium concipimus: verbum esse definiunt ipsam cogitationem, quæ adhuc intra conscientiæ ſecreta reticetur; vocem vero per quam verbum profertur in medium. Vox ſonus est index cogitationis, verbum vero ipsa cogitatio. Sicut enim, quando verbum corde concipimus, necessaria vox est, quasi quoddam vehiculum verbi, et qua verbum ipsum per oris ſonum ad alium transferamus; tamen illud integrum etiam intra nos, id est clausum a loquente transfertur, ut in ſua ſede teneatur; ita et omnipotens Pater innotescere nobis volens ſapientiam, et Verbum illud, quod in principio erat apud Deum, ſicut ipse testatur, *eructavit cor meum verbum bonum*, beatum Joannem quasi vocem, per quam ad nos Verbum ſuum proferret, assumpsit. Quod quidem Verbum de illa ſede ita ad nos descendit, ut e ſinu, id est in profundo paterni pectoris permaneret, terrena visitans et cœlestia non relinquens." Additur in catena Patrum in Lu-

a) *Serm. CCLXXXVIII. n.* 2. *T. V. p.* 1153. *etc.*

Caput XVIII. cam a Corderio locus auctoris operis imperfecti Hom. III. in Matth. ſequens *a)*, qui rem ipſam ſeu myſterium egregie dilucidat, ac illuſtrat: „Vox eſt ſonus, nullum ſecretum cordis oſtendens, ſed hoc tantummodo ſignificans, quia vult aliquid dicere ille, qui clamat. Verbum autem eſt ſermo rationalis, myſterium cordis aperiens. Adhuc vox inter animalia et homines communis eſt, verbum autem hominum tantum. Ideo ergo Joannes dictus eſt vox, non verbum: quia per Joannem neque miſericordias ſuas Deus, neque iuſtitias, neque ante conſtitutionem mundi præparata conſilia demonſtravit, ſed hoc tantummodo, quia aliquid magni facere Deus in hominibus meditabatur. Poſtea autem per filium ſuum pleniſſimnm myſterium ſuæ voluntatis aperuit, ideo et dictus Verbum." Vener. Beda in cap. I. Joannis in eandem ſententiam commentatur *b)*: „Scitis, quia unigenitus Filius Verbum Patris vocatur, Joanne atteſtante, qui ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Ex ipſa veſtra locutione cognoſcitis, quia prius vox ſonat, ut verbum poſtmodum poſſit audiri. Joannes ergo vocem ſe eſſe aſſerit, quia Verbum præcedit. Adventum itaque Dominicum præcurrens vox dicitur, quia per eius miniſte-

a) *Pag.* 78. *b)* *T. V. p.* 459.

rium Patris Verbum ab omnibus auditur. Qui etiam in deſerto clamat, quia derelictæ ac deſtitutæ Judææ ſolatium Redemtoris annunciat." Semper novi aliquid ad ſublimitatem myſterii panditur, dignitatemque præcurſoris Domini extollendam, quo, ipſo Domino prædicante, nullus maior inter natos mulierum, uti nullus ſuo officio verbo incarnato fuit coniunctior, veluti vox verbo mentis „tanto propinquior Deo, ut verbis S. Bernardi utar *a*), quanto vox Verbo vicina, cui nulla voce alia media, quod foris ſonet, oportet intimari." S. Thomas illud ea ſententia imprimis illuſtrat, qua ipſe Joannes de Chriſto teſtatur *b*): *Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat.* „Dixit autem, ſunt verba Thomæ *c*), ſe vocem eſſe, quia vox origine poſterior eſt verbo, ſed notitia prior. Nam verbum in corde conceptum per vocem prolatam cognoſcimus, cum ſit ſignum eius. Deus autem Pater præcurſorem miſit Joannem in tempore factum, ut Verbum ſuum ab æterno conceptum annuntiaretur; et ideo congrue dicit: *Ego vox.* Quod autem addit *clamantis*, poteſt intelligi dupliciter, ut ſcilicet ſit vel Joannis in deſerto clamantis, et prædicantis, vel Chriſti clamantis in ipſo."

a) *T. III. p.* 984. *b*) *Jo. I.* 30.
c) *Lect. XII. in Joan. T. III. p.* 438.

Caput XVIII.

Aurora ſolis iuſtitiæ.

Sic etiam aurora dici poteſt S. Joannes præcurſor Chriſti ſolis iuſtitiæ, qui orituruſ prædicitur Malach. IV. 2. et mox V. 5. Elias venturus, *antequam veniat dies Domini.* Eliam autem eſse Joannem, ipse nobis Chriſtus denunciavit, qui nimirum *ante illum præivit in ſpiritu et virtute Eliæ, parare Domino plebem perfectam* Luc. I. 17. Itaque auroræ inſtar Chriſtum ſolem præceſſit: *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine a).* Jo. V. 35. autem a Chriſto dicitur *lucerna ardens et lucens* non proprio utique ſuo, ſed ſolis iuſtitiæ lumine, prædicans pœnitentiam in remiſſionem peccatorum, ad ſatisfaciendum divinæ per Chriſtum nemeſi.

a) *Jo. I. 8.*

CAPUT XIX.

FILII ABRAHAM.

Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, *quoniam potens est Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Matth. III. 9.

Gentiles electi.

Palam hic ad reiectionem Judæorum reſpicitur: atque etiam antiquiſſimi Patres S. Ignatius M. in epiſtola ad Magnes. et S. Irenæus libro IV. contra hæreſes. c. 7. p. 235. Clemens Alexandrinus in protrept. ad Græcos. p. 3. de gentilibus acceperunt, quod dicitur *quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, quorum lapidea ſunt corda, et qui ſaxa ſtipiteſque cultu proſequuntur, de quibus Pſalmiſta: *ſimiles illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis*, ex quibus vero potens eſt Deus filios Abraham ſuſcitare. Ad fidem certe Abrahæ hic reſpicitur, quam gentiles ſunt ſectati, dum Judæi proſapiam ex Abraham iactitantes, ea exciderunt. Sic iuxta S. Irenæum hoc fecit Jeſus, „a

lapidum religione extrahens nos, et a duris et infructuosis cogitationibus transferens nos, et ſimilem Abrahæ fidem in nobis constituens. Quemadmodum et Paulus testificatur, dicens nos esse filios Abrahæ ſecundum ſimilitudinem fidei, et repromissionem hæreditatis." „Non enim ſuccessio carnis quæritur, ut loquitur S. Hilarius in h. l. ſed fidei hæreditas." S. Hieronymus „lapides, inquit in h. l. ethnicos, intelligit iuxta illud Ezechielis XXXVI. 26. *Auferam cor lapideum, et dabo vobis cor carneum*; ſubdit: In lapide duritia, in carne mollitudo monstratur. Sive ſimpliciter indicat Dei potentiam, quod, qui de nihilo cuncta fecerit, possit et de ſaxis durissimis populum procreare." Ad illud Isaiæ LI. 1. hic respicitur, *attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis.* „Nominat enim petram Abraham propter impotentiam generandi et Saram propter ſterilitatem," ut etiam S. Thomas in hunc locum animadvertit, quasi dicat *a*): „Deus qui potentem fecit Abraham, et fœcundam Saram, potens est de lapidibus istis ſuscitare filios Abrahæ." „Et ideo admonentur, ſunt verba S. Ambrosii *b*), claritatem ſibi magis operis, quam nobilitatem generis vindicare; quod nulla in ſuccessione

a) *T. III. p.* 43.

b) *Expos. in Lucam lib. II. n.* 75. *T. I. p.* 1305.

prærogativa ſit, niſi fidei adſtipuletur hæreditas, quam Dei nutu ad populos gentilium transferendam, ſermone prophetico revelavit, dicens: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Nam licet Deus poſſit diverſas convertere et commutare naturas; tamen quia mihi plus myſterium, quam miraculum prodeſt, in prænuntio Chriſti nihil magis, quam ædificationem Eccleſiæ debeo ſurgentis agnoſcere: quæ non rupeis ſaxis, ſed vivis lapidibus extructa, in habitaculum Dei, et faſtigium templi converſione noſtrorum ſurrexit animorum. Etenim parabat Deus mentium noſtrarum dura mollire, et de lapidibus offenſionis excitare cultores religionis. Quid enim aliud quam lapides habebantur, qui lapidibus ſerviebant, ſimiles utique iis, qui facerent eos? Prophetatur igitur ſaxoſis gentilium fides infundenda pectoribus, et futuros per fidem Abrahæ filios oracula pollicentur, quibus per duritiam mentis ſaxeus quidam inſenſibilis, irrationabiliſque naturæ uſus inoleverat. Nam ſi lapidibus vivis firmatos viros fidei robore ſententia apoſtolica comparavit, iuxta quod ſcriptum eſt: *Et vos tanquam lapides vivi ædificamini domus ſpiritalis, in ſacerdotium ſanctum, offerentes hoſtias ſpiritales:* multo magis hîc videntur voce prophetica lapidibus homines comparati, qui ita humanæ ſenſum mentis

amiſerant; ut dum lapidibus putant divinitatis alicuius ineſſe rationem, ipſi in naturam lapidum non uſu corporis, ſed mentis habitu verterentur." Sed, ut iam notavimus, ſanctus Jo. Chryſoſtomus inhærendo litteræ non minus apte, et concinne ſublimitatem huius ſententiæ exponit in h. l. his verbis *a*): Quidam dicunt, id de gentibus dici, quas lapides metaphorice vocat. Ego vero aliam dicti ſententiam eſſe puto. Qualem illam? Ne putetis, inquit, ſi vos pereatis, patriarcham ſine filiis fore. Non ita, non ita utique ſe res habet. Deus enim poteſt ex lapidibus filios ipſi dare, et ad eius genus cognationemque illos deducere, ſiquidem hoc ipſum a principio factum eſt. Nam ex lapidibus homines fieri tale eſt, quale ex vulva ſterili puellum prodire. Quod et propheta ſubindicans dicebat: *Reſpicite in ſolidam petram, ex qua exciſi eſtis, et ad foveam lacus, ex qua effoſſi eſtis. Reſpicite in Abraham patrem veſtrum, et in Saram, quæ vos parturivit.* Hanc ergo prophetiam illis revocat in memoriam, oſtenditque ſicut a principio illum ſic mirabiliter patrem effecit, quaſi ex lapidibus, ſic et nunc quoque id poſſe fieri. Sed vide quomodo et terreat, et exſcindat. Non enim dixit, iam excitavit, ne ipſi animum deſponderent; ſed ſuſcitare poteſt. Neque

a) *T. VII. p.* 151.

dixit, homines facere poteſt ex lapidibus; ſed quod multo maius erat, et cognatos, et filios Abrahæ. Viden' quomodo illos abduxit a carnali illa imaginatione, et a præsidio proavorum, ut in propria pœnitentia temperantiaque ſpem ſalutis haberent? Viden' quomodo cognationem carnis excludens, fidei cognationem inducit?"

Perinde ac S. Joannes Baptiſta ita etiam Chriſtus et eius apoſtoli Judæis ſuperbiam illam ex eorum animis eximere paſſim allaborabant, quam ex Abrahamida proſapia conceperant, radice quidem ſancta, ex qua ortum habere debebat Chriſtus ſecundum promiſſionem Abrahæ et ſemini eius factam; tunc cum de terra ſua et cognatione ſua egredi iuberetur *a*): *Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ.* Hoc, ad ſe ſolos reflectentes animum, non attendebant carnaliter ſapientes Judæi, *id eſt*, ut rem nobis explicat D. Paulus *b*), *non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.* Et alibi Chriſti nos ſemen allocutus, *Nos autem*, inquit *c*), *fratres, ſecundum Isaac promiſſionis filii ſumus; ſed quomodo*

a) *Gen. XII. 2.* *b*) *Rom. IX. 8.* *c*) *Gal. IV. 28.*

CAPUT XX. *tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum: ita et nunc. Sed quid dicit ſcriptura? Eiice ancillam et filium eius.* Hoc tunc Judæos manebat fatum, dum iam eſſet infructuoſa arbor, quod eis exprobrat Joannes Baptiſta et excidium prædicit: *Jam enim ſecuris ad radicem poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.*

CAPUT XX.

TENTATUR CHRISTUS A DIABOLO.

Erat in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus: *et tentabatur a ſatana*, eratque cum bestiis, *et angeli ministrabant illi.* Marc. I. 13.

Adam ſecundus. Moyses et Elias, qui cum Chriſto transfigurati ſunt in monte, etiam leguntur ieiunaſſe quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, alter legislator Judæorum, alter corypheus prophetarum: fecit et hoc ille, qui venit, ut legem et prophetas adimpleret. Dicitur Chriſtus *ductus a ſpiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo a)*, nobis

a) *Matth. IV. 1.*

ad exemplum, ut discamus nullum locum, opus aut institutum tam pium et ſanctum, quo se malignus ſatan non insinuet. CAPUT XX.

Nuspiam in Evangelio ſublimitas in humilitate Christi se prodit apertius, quam hic, dum non ſolum extra commercium humanum cum bestiis esse dicitur, verum etiam diabolo inimico irreconciliabili tentandum ſæpius, enormiter tractandum, tamque viliter abutendum se comittit. Quod enim hic compendio dicit S. Marcus de tentatione Christi in deserto, articulatim explicant Evangelistæ Matth. IV. et Luc. IV. quam vero S. Joannes ſilentio penitus præterit. Qua de re Origenes *a*), „ſcripturæ ſensum, inquit, diligenter eventilans, reor invenire me causam, quare Joannes tentationem Domini non descripserit: ſed tantum Matthæus, Lucas, et Marcus. Joannes enim, qui a Deo exordium fecerat dicens: *In principio erat Verbum etc.* nec poterat divinæ generationis ordinem texere, ſed tantumodo quod ex Deo et cum Deo esset, expresserat, adiecit: *Et Verbum caro factum est.* Porrò quia Deus tentari non potest, de quo ei erat ſermo, ideo tentari illum a diabolo non introducit."

Antiquissimi quique SS. PP. rationem et ſchema tentationis Christi ceu Adami ſecundi in tentatione Adami primi in paradiso quærunt. S. Justinus M. postquam

a) *Homil. XXIX. in Luc. T. III. p.* 967.

CAPUT XX. ſequentia ad rem retulisset *a*), „ſtatim enim atque Jesus ascendit e fluvio Jordane, ubi vox in eum edita est: *Filius meus est tu; Ego hodie genui te;* ſcriptum est in commentariis Apostolorum, diabolum ad illum accessisse, et tentasse, usque adeo, ut ei diceret: *Adora me*, eique respondisse Christum: *vade retro me ſatana: Dominum Deum tuum adorabis, et illi ſoli ſervies:* Quemadmodum enim Adamum decepit, ſperabat se in hunc quoque aliquid moliri posse." S.Irenæus vero: „Quoniam enim, ait in conclusione cap. 21. lib. V. ubi hanc rem tractat, in initio homini ſuasit transgredi præceptum factoris, ideo habuit eum in ſua potestate, potestas autem eius est transgressio, et apostasia, et his colligavit hominem; per hominem ipsum iterum oportebat victum eum contrario colligari iisdem vinculis, quibus alligavit hominem, ut homo ſolutus revertatur ad ſuum Dominum, illi vincula relinquens, per quem ipse fuerat alligatus, id est, transgressionem. Illius enim colligatio, ſolutio facta est hominis, quoniam *non potest aliquis introire in domum fortis, et vasa eius diripere, nisi primum ipsum fortem alligaverit b*)." Quibus in verbis imprimis ratio et causa attendenda est, quam ob rem genus humanum insidiis dæmonis expositum ac vinctum, in eius ſervitutem

a) *Dialog. cum Tryph. n.* 103. *p.* 198. *b.*
b) *Matth. XII.* 29.

est redactum, a Christo iterum ereptum. S. Ambrosius „convenit, inquit *a*), recordari, quemadmodum de paradiso in desertum Adam primus eiectus ſit; ut advertas quemadmodum de deserto ad paradisum Adamus ſecundus reverteretur."

Intelligis utique hinc admirabilem œconomiam redemtionis nostræ, qua Christus ſtatim post baptismum a Joanne Baptista acceptum, dum voce cœlesti Filius Dei esse est declaratus, ductus a Spiritu divino est in desertum, ut tentaretur a diabolo, atque opus redemtionis liberationisque a ſervitute diaboli conveniret tentationi, lapsuique in paradiso. Itaque, qui aliquando post creationem hominis mox adfuit tentator in forma ſerpentis, hic in forma humana, quam Christus nostri causa assumsit naturam, accedit, redemtoremque nostrum in ipso exordio ſui muneris prædicandi Evangelium regni, ad destruendum regnum diaboli, aggreditur. „Agebatur, ut idem S. Ambrosius postea ſcribit, consilio in desertum, ut diabolum provocaret: nam nisi ille certasset, non mihi iste vicisset: mysterio, ut illum Adam de exilio liberaret, qui de paradiso in desertum eiectus est: exemplo, ut ostenderet, nobis diabolum ad meliora tendentibus invidere;

a) *Exposit. in Luc. n. 7. T. I. p.* 1336.

CAPUT XX. et tunc magis eſſe cavendum, ne myſterii gratiam deſerat mentis infirmitas." Voluit igitur Christus per omnia nobis aſſimilari tentatus *per omnia pro ſimilitudine absque peccato a)*, velut dux et ſignifer noster nos ad pugnam contra diabolum præire, et nos quibus armis, fuga nempe ſeu ſeceſſu a mundo, ieiunio, oratione, et Verbo Dei contra diabolum certamen ineundum ſit, edocere: ſecuros nos reddere et certos de victoria, ſi ſtrenue cum ipſo in pugnam proceſſerimus: nec pugnam detrectandam eſſe, aut alienam exiſtimandam post baptiſmum, quia etiam „tunc Jesus ductus est in deſertum a ſpiritu, ut tentaretur a diabolo, docens nos, ſunt verba Theophilacti in cap. IV. Matthæi *b)*, quod post baptiſmum magis oportet exſpectare tentationes." Eadem in verba „Tunc quandonam? quærit S. Chryſostomus *c)*, post deſcenſum illum Spiritus ſancti, post vocem illam ſuperne delatam, et dicentem: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quodque mirum est, *a Spiritu ſancto:* hic enim illuc adduxit illum. Quia enim omnia ad docendum nos fecit, et paſſus est, illuc adduci, et cum diabolo pugnam committere voluit: ut unusquisque baptizatorum, ſi post baptiſmum maiores ſuſtineat tenta-

a) *Hæbr. IV.* 15. b) *T. I. p.* 19.
c) *Hom. XII. in Matth. n.* 1. *T. VII. p.* 167.

tiones, ne turbetur, quaſi inſperatam rem expertus; ſed maneat fortiter omnia ferens, utpote re ſecundum rectam ſeriem accidente. Etenim ideo arma accepiſti, non ut otieris, ſed ut pugnes. Ideo ingruentes tentationes non impedit Deus: primo quidem, ut diſcas te multo fortiorem factum; deinde ut moderate ſapias, neque donorum magnitudine extollaris, cum te tentationes reprimant: ad hæc vero, ut malignus ille dæmon, an abs ſe diſceſſeris dubitans, tentationum experimento certior fiat, te ipſo prorſus relicto, abſceſſiſſe; quarto, ut fortior, et ipſo ferro ſolidior ſic evadas; quinto, ut theſauri tibi crediti certum habeas argumentum."

Victoria Chriſti de diabolo.

Animadvertenda vero imprimis eſt convenientia tentationum Chriſti victoris et primorum parentum victorum iuxta ſpecies illas concupiſcentiæ carnis nempe, concupiſcentiæ oculorum, et ſuperbiæ vitæ *a)*. A ſeductore quippe decepti ſunt primi parentes noſtri, inductique fraudulenter, nequaquam morituros se, ſi comederent, ſed aperiendos potius eorum oculos, et futuros ſicut deos, ſcientes bonum et malum; *videns mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum b)*, voluit tentator, ut pomo gulam ceu concupiſcentiam carnis ſatiarent:

a) I. Jo. II. 16. *b) Genes. III.* 6.

CAPUT XX. *et pulchrum oculis, aspectuque delectabile:* En concupiscentiam oculorum; ſuperbiam vero vitæ, dum persuasit: *Eritis ſicut dii.* „Tria præcipue, ut rem exponit S. Ambrosius *a*), edocemur esse tela diaboli, quibus ad convulnerandam mentem hominis consuevit armari: gulæ unum, aliud iactantiæ, ambitionis tertium. Inde autem cœpit, unde iam vicit. Et ideo inde incipio in Christo vincere, unde in Adam victus ſum; si tamen mihi Christus imago Patris, virtutis exemplum fit." Copiosius hæc exsplicata leges apud Cassianum in collat. Patrum collatione quinta, quæ est Abbatis Serapionis de octo principalibus vitiis cap. 6. *b*). Et apud S. Gregorium lib. I. hom. XVI. in Evang. *c*). Notandum vero, quod S. Ambrosius (postquam pulchre imprimis rerum huius mundi caducitatem ex eo demonstrasset, quod diabolus uno momento omnes ob oculos posuisset) in illa verba Lucæ IV. 13. *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus* commentatur: „Prope omnium, ſcribit *d*), criminum fontes hæc tria genera demonstrantur esse vitiorum. Neque enim consummatam omnem tentationem ſcriptura dixisset: nisi in his tribus esset omnium materia de-

a) *Expos. in Luc. lib. IV. n.* 17. *T. I. p.* 1339.
b) *Adversus Pelag. lib. VII.* *c*) *T. I. p.* 1493.
d) *L. IV. n.* 35. *p.* 1343.

lictorum, quorum ſemina in ipsa origine ſunt cavenda. Finis ergo tentationum, finis est cupiditatum; quia causa tentationum causæ cupiditatum ſunt. Causæ autem cupiditatum ſunt carnis oblectatio, ſpecies gloriæ, aviditas potentiæ." Conspirat S. Jo. Chrysostomus in Matthæum *a*): „Et quomodo, inquies, Lucas ait, ipsum omnem tentationem consummasse? Videtur mihi, ut capita tentationum diceret, omnes dixisse, quasi aliis hoc numero comprehensis. Nam hæc mala, innumera alia complectuntur, ventri ſervire, ad vanam gloriam quid agere, furioso pecuniarum amore teneri." Lectu omnino digna ſunt, quæ S. Pater in ea homilia edisserit de ordine tentationum, arteque, qua vaferrimus hostis usus fuerat, id in omnibus intendens, ut, an vere esset Filius Dei, expiscaretur, cum audisset in baptismo Patris oraculum ac Joannis Baptistæ testimonium, cerneretque nihilominus cæteroquin hominem infirmum. „Sed his dictis Christus, ſubdit S. Pater *b*), non se tamen revelat; ſed quasi homo ei interim loquitur. Nam quod dixit, *non in ſolo pane vivit homo*, neque illud: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, non ſese admodum manifestantis erat, ſed ſeſe ex cæterorum hominum numero declarantis." Et S. Hieronymus in

CAPUT XX.

a) *Hom. XIII. n.* 4. *T. VII. p.* 172.
b) *Ib. p.* 171.

CAPUT XX. Matthæum *a*): „In omnibus tentationibus, inquit, hoc agit diabolus, ut intelligat, ſi Filius Dei ſit: ſed Dominus ſic reſponſionem temperat, ut eum relinquat ambiguum.“ Spectata nimirum litera tantum, ut exemplo ſatanæ facere ſolent filii tenebrarum. Si enim ſpiritum verborum Chriſti aſſecutus fuisset ſatan, agnovisset ex reſponſione prima in Chriſto verbum illud divinum, *quod procedit de ore Dei:* et adhuc manifeſtius in ſecunda reſponſione redargutum ſe intellexiſſet, quod *Dominum Deum ſuum tentare* in Chriſto non eſſet reveritus: uti etiam in tertia tentatione, reſponſione hac *Dominum Deum tuum*, quem tu tentas, ut te adoret, *adorabis, et ipſi ſoli ſervies.*

Jam ſupra ex S. Ignatio M. notavimus, quocum S. Hilarius aliique Patres ſentiunt, diabolum latuiſſe incarnationis myſterium; experimentum autem capere voluit miraculo, quod ad creationem proxime accedit, ſi lapidem in panem mutaret. Reſpondet autem Chriſtus ex Moyſe *b*), per quem olim Deus Iſraelitas in deſerto manna de cœlo miſſo nutrivit, a quo hæc verba, dum in Deuteronomio iſtud inter varia beneficia divina populo ob oculos poneret, ſunt prolata: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Diſci-

a) *T. IV. p.* 12. *b*) *Deuter. VIII.* 3.

pulis ſuis in prima ſtatim instructione, ſermone in monte Matth. VI. omnem ſollicitudinem demit de necesſariis huius vitæ: eos etiam redarguens Matth. XVI. 7. dum de non acceptis panibus *cogitabant intra se*, miracula multiplicatorum in deserto panum in memoriam revocat: iisdem porro aliquando afferentibus ſibi panem Jo. IV. 34. *Meus cibus est*, ait, *ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius.* Hæc declarant nobis responſionem diabolo a Christo factam in ſtatu ſuo omnium rerum experte in hoc mundo, ut plena in cœlestem Patrem ſuum fiducia posset dicere in ſtatu exinanitionis: *Non in ſolo pane vivit homo etc.* Quæ in verba, „ideo ſic respondit Dominus, commentatur Ven. Beda *a*), quia propositum ei erat humilitate diabolum vincere, non potentia.“ Ipsa hæc Filii Dei humilitas audacem adeo reddidit tentatorem, ut eum in pinnaculum templi elevaret, cum iam incertior esset, iterum aggressus, miraculum iterum expostulat, eandem instituens quæstionem: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum, ſcriptum est enim: Quia angelis ſuis mandavit de te etc.* cum ſciret miracula esse divinum opus, quo etiam argumento deinceps Christus divinam ſuam assertum ivit misſionem; Christus autem iterum verbis legis Deuteron. VI. 16. ten-

a) *T. V. p.* 259.

tationem eludit, dum *Rurſum*, inquit, *ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Nec enim per alienam, ut S. Irenæus obſervat *a*), „ſed per propriam Patris ſui ſententiam deſtruxit adverſarium, et fortem vicit,“ ſimulque ſe eius Filium innuit, ut notat S. Petrus Chryſologus „ſe utique Dominum, ſe utique Deum intelligi voluit, hæc dicendo: qui non de pinna templi tantum ſe dedit ad terram, ſed e cœlis ſe ad inferos usque iactavit, ut non cadentium forma, ſed eſſet reſurrectio mortuorum.“ Et mox idem S. Pater ad tertiam tentationem, qua ad tantam audaciam impudentiamque erupit, ut ſe adorari peteret diabolus, promittens Chriſto: *Hæc omnia dabo tibi, ſi cadens adoraveris me:* „Offert, pergit S. Chryſologus *b*), quæ Dei ſunt, Deo: auctori, quæ auctoris ſunt, repromittit: ſuadet, ut adoret ab omnibus adorandus, et cæcatus auſibus ſuis ante iudicium iudici, quemadmodum ſimplices deciperet, confitetur: cui Dominus non tam teſtimonio legis, quam divinitatis ſuæ reſpondet imperio: *Dominum Deum tuum adorabis.* Tu Dominum Deum illum, cui genu flectunt omnia non ſolum cœleſtia et terreſtria, ſed etiam inferna. Adorabis ergo tu in inferno ſtridens et eiulans eum, quem ad te adorandum modo temerarius

a) *Lib. V. contra hæreſes c. 22.* *b*) *Pag. 24.*

deſertor invitas." Jam vero aperto Marte cum tentatore agit, quis eſſet ei exprobrans. *Vade ſatana, Dominum Deum tuum adorabis, et illi ſoli ſervies.* „Denudans eum, ſunt verba S. Irenæi *a*), per hoc nomen, et ſe oſtendens qui erat. Satana enim verbum Hebraicum, apoſtatam ſignificat. Et tertio itaque vincens eum, de reliquo repulit a ſemetipſo, quaſi legitime victum: et ſoluta eſt ea, quæ fuerat in Adam præcepti Dei prævaricatio, per præceptum legis, quod ſervavit filius hominis, non transgrediens præceptum Dei." Nobis nempe in exemplum ac robur, quod ſua victoria Chriſtus præſtat ad ſuperandas quascunque diabolicas tentationes et inſidias; quod ipſum eum in oratione dominica rogamus, ne nos inducat in tentationem, ſed liberet nos a malo, hoc eſt, a diabolo; quam ob rem, ut fortes reſiſtere poſſemus atque a diaboli ſervitute eriperemur, hanc noſtri cauſa pugnam iniit et victoriam in hoſtem reportavit; atque ut intrepide cum ipſo, et in ipſo dicere ei tentanti poſſimus: *Vade ſatana.* „Nos vero Dominus, monachos ſuos alloquitur S. Antonius *b*), non ſivit a diabolo circumveniri, cum ſimilibus phantaſiis ſe aggredientem increpavit his verbis: *Vade retro me ſatana: Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi ſoli*

a) *Lib. V. c. 21. p. 319.* *b*) *T. IV. Bibl. PP. p. 647.*

CAPUT XX. *ſervies.* Quapropter magis magisque versipellis iste despiciatur a nobis. Quod enim illi hæc Dominus dixit, id nostri causa factum est: ut has voces a nobis item audientes dæmones evertantur, propter Dominum, qui eos ipsis (his verbis) increpavit."

Angelorum ministerium. Quod vero Matthæus et Lucas de tentatione Christi explicatius edisserunt, hoc præmissus huic capiti S. Marci locus paucis verbis complectitur, estque ſublime illud admirandum cumprimis, et adorandum in tota hac narratione, qua se Christus in initio ſtatim, dum foras prodit perfuncturus munere ſuo, eum demonstravit, *ut*, iuxta Apostolum *a*), *in nomine Jesu omne genu ſlectatur cælestium*, *terrestrium et infernorum*, dum, postquam Spiritu S. ductus in desertum post ieiunium quadraginta dierum ſatanam deiecit, *accedentes angeli ministrabant ei*, incarnato Verbo obsequium præstantes iuxta Apostolum Hebr. I. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei*, angelorum Dominum et creatorem, quem unigenitum Filium ſuum hominem factum misit in terram Deus, ut ſciamus *b*), *quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus*, *ſecundum operationem potentiæ virtutis eius*, *quam* operaturus erat *in Christo ſuscitans*

a) *Phil. II.* 10. *b*) *Eph. I.* 19. *etc.*

illum a mortuis, et conſtituens ad dexteram ſuam in cælestibus, ſupra omnem principatum et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Divinam virtutem ſuam quomodo experti ſenſerint dæmones paulo post hanc tentationem idem evangelista Marcus I. 24. enarrat in obsesso exclamantes inducens: *Quid nobis et tibi Jesu Nazarene: venisti perdere nos? Scio qui ſis, ſanctus Dei. Et comminatus est ei Jesus, dicens: obmutesce, et exi de homine. Et diſcerpens eum ſpiritus immundus et exclamans voce magna exiit ab eo.* De bonis angelis mox plura, ex quibus unus, dum in carne degeret Luc. XXII. 43. *apparuit illi de cælo confortans eum.* Ad Petrum vero in horto, quod famulatum angelorum demonstrat, dicit a): *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?* Eadem ſunt, quæ Christus respondit Pilato. Jo. XVIII. 36. Igitur postquam omnia, quæ oportebat fieri, eſſent facta, mox Christo iam resurrecturo b), *Ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo: et accedens revolvit lapidem, et ſedebat ſuper eum.* Mox etiam angelus mulieribus Christi resurrectionem denuntiat, et timo-

CAPUT XX.

a) *Matth. XXVI. 53.* b) *Ib. XXVIII. 2.*

CAPUT XX.

rem aufert, dum contra *præ timore eius exterriti ſunt cuſtodes, et facti ſunt velut mortui :* qui nimirum non erant in ſpe resurrectionis dominicæ, de eorum numero quos Christus e ſervitute dæmonis liberans, captivam ducturus erat captivitatem in cœlos, *deglutiens mortem, ut vita æterna hæredes efficeremur: profectus in cœlum, ſubiectis ſibi angelis, et potestatibus, et virtutibus a).* Nobis autem, quamdiu in hac vita ſumus non ſolum exemplum, ſed etiam virtutem, devicto ſatana, tribuit, ut possimus *per armaturam Dei ſtare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et ſanguinem: ſed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœlestibus b):* Satanam nimirum cœlo detrusum, quem ſupra Apostolus c. II. 2. vocat *principem potestatis aeris huius, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ:* Ἐπȣρανίοις ut habet textus originalis; qua voce communiter etiam aeris regiones denotantur.

a) I. Petr. III. 22. b) Eph. VI. 11.

CAPUT XXI.

CHRISTUS A JOANNE AGNUS DEI DEMONSTRATUR.

Vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, et ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat. Jo. I. 29. 30.

Pro peccatis noſtris immolatus.

Primum teſtimonium Joannis præcurſoris quod refertur a Joanne Evangeliſta, ſtatim poſtquam Verbum caro factum habitaſſe in nobis dixerat, eſt: poſt ſe venturum qui ante ſe fuerit, γέγονεν, *quia prior me erat a)*, quod æternam Filii generationem deſignat; ea vero quæ mox ſequuntur, ad incarnati Verbi divini myſterium pertinent, novumquê teſtamentum in locum veteris ſubſtitutum, legem nempe gratiæ: *et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia: quia lex per Moyſen data eſt, gratia et veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit b)*. Hoc teſtimonium iterum in memoriam revocare voluit, quan-

a) Jo. I. 15. *b) Ib. 16. etc.*

Caput XXI. do Christum altera die agnum demonstravit, *qui tollit peccatum mundi.* „Vides, inquit Theophanes *a*), in uno Christo duarum naturarum compositionem, cum dixit agnum Dei, assumtam humanitatem ostendit, agnum revera innocentem pro nobis ductum ad mortem. Ne vero purum hominem hunc agnum existimares, protinus addidit, *qui tollit peccatum mundi*, hoc enim quod est divinitatis indicium, priori convenit. Per utrumque vero dictum ad Isaiæ prophetiam mentem eius traducit, qui audire poſſit, modo non clamans:" ut ovis ad occisionem ductus est, et ut agnus coram tondente se, ipse iniquitates nostras portavit, et livore eius ſanati ſumus. Agnus hic præfigurabatur per agnum pascalem, nec non iuge ſacrificium, quo ſingulis mane unus agnus, et vespere alter immolabatur: quæ vero omnia cessarunt, dum pascha nostrum immolatus est Christus: inde enim cessarunt victimæ et hostiæ umbræ futurorum, ut D. Paulus docet in epistola ad Hebr. X. 4. etc. *Impoſſibile enim est ſanguine taurorum, et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: Ecce venio b*). Hic idem est, qui de se Jerem. XI. 19. dicit: *Et ego*

a) *Homil. L. p.* 345. *b*) *Psalm.* XXXIX. *etc.*

quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam. Eundem iterum Joannes, cum videret Jeſum altera die ambulantem, demonſtravit, dicens: *Ecce agnus Dei a)*, duobus ex diſcipulis, quorum unus Andreas frater Simonis Petri, qui, primus eum agnoſcens Meſſiam, fratrem Petrum adduxit ad Jeſum: qui in prima ſua epiſtola capite primo nos hoc etiam iugi in memoria habere vult. *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redemti eſtis ... ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, et incontaminati b).* In Apocalypſi identidem nobis Chriſtus ut agnus, ceu victima repræſentatur *occiſus ab origine mundi c)* unde quippe a peccato originali usque primorum parentum noſtrorum omnium peccata ipſe tulit; quodque non ſemel Joſephus de bello Judaico teſtatur *d)*, agnus holocauſti ſeu ſacrificii quotidie non pro Judæis tantum, ſed pro totius generis humani offerebatur peccatis comburendus, admirabili conſenſione cum verbis Joannis *e)*: *Ecce agnus Dei, qui tollit τὴν ἁμαρτίαν peccatum mundi: Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Hoc eſt quod Joannes de Chriſto dicit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Parallelus eſt

a) *Jo. I.* 36. b) *I. Petr. I.* 18. c) *Apoc. XIII.* 8.
d) *Lib. II. c.* 10. *n.* 1. *Ib.* §. 4.
e) *I. Jo. II.* 2.

Caput XXI. hic locus illi I. Jo. III. 5. *Scitis, quia ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret: et peccatum in eo non eſt.* Hic eſt enim: *Agnus absque macula a*), qui vetus Phaſe terminat: *Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, dum agno pecori agnus Dei, figuræ ſuccedit veritas.

Lex et Prophetæ de terra terreni, terrena in veteri ſonabant teſtamento, terram promiſſam, regnum terreſtre, quale etiam Judæi a Meſsia ſua præſtolabantur: dum ecce adveniens unigenitus Dei Filius, qui eſt in ſinu Patris, cœleſtia nobis enarrat, et ius cœleſtis patriæ reſtituit, deleto chyrographo peccati, vere *agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, ac pœnitentibus remiſſionem peccatorum regnumque cœlorum promittit. Id quod primus nobis Joannes nuntiat præcurſor Domini, quod in ipſa eius nativitate Zacharias ipſius pater in cantico de eo vaticinatus fuerat: *Et tu puer propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius: ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius: in remiſſionem peccatorum eorum.* Neque enim ullus hoc facere potuit prophetarum veteris teſtamenti, usque ad adventum Chriſti *b*): *In diebus autem illis venit Joannes Baptiſta prædicans in deſerto Judææ, et dicens: Pœnitentiam agite:*

a) *Exod. XII. 5.* b) *Matth. III. 1.*

appropinquavit enim regnum cœlorum. Nec aliter Christus, relicto poſt ieiunium quadraginta dierum deſerto, et diaboli tentationem, munus ſuum auſpicatus eſt *a*): *Exinde cœpit Jeſus prædicare, et dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum Dei.* Sic Marc. I. 4. de Joanne dicitur: *Fuit Joannes in deſerto baptizans, et prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum:* utrumque hic baptiſmum ſuum in aqua, et Chriſti in Spiritu ſancto in remiſſionem peccatorum deſignat, de quo utroque paulo poſt v. 8. *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu ſancto*, nempe *agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, ac per remiſſionem peccatorum e ſervitute diaboli in libertatem filiorum Dei nos reſtituit, regnoque Dei, de quo mox v. 14. et 15. *Poſtquam autem traditus eſt Joannes, venit Jeſus in Galilæam prædicans Evangelium regni Dei, et dicens: Quoniam impletum eſt tempus, et appropinquavit regnum Dei, pœnitemini, et credite Evangelio.* Sic etiam apoſtoli ab eo miſſi *exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent b*). Et poſt acceptum Spiritum ſanctum dum prima concione Petri ad Judæos, *compuncti ſunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos apoſtolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: et accipietis donum Spiritus ſancti c*).

CAPUT XXI.

a) *Matth. IV.* 17. b) *Marc. VI.* 12. c) *Act. II.* 37. etc.

CAPUT XXII.

ANGELI IN MINISTERIO CHRISTI.

Quia dixi tibi: vidi te ſub ficu, credis: maius his videbis. Et dicit ei: *Amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et angelos Dei aſcendentes, et deſcendentes ſupra filium hominis.* Jo. I. 50. 51.

Scala Jacob typus novi teſtamenti in Nathanaele.

Viderat Jeſus Nathanaelem ad ſe venientem, et dicit de eo: *Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Hinc repetenda eſt myſtica expoſitio huius loci de aſcendentibus et deſcendentibus angelis ſuper filium hominis. Iſraelis nomen patriarchæ Jacob a Deo in Geneſi inditum legitur, atque etiam ab integritate commendatur, ut hic Nathanael. *Vidit* autem aliquando *Jacob in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram et cacumen illius tangens cælum; Angelos quoque Dei aſcendentes et deſcendentes per eam. Et Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus etc. a)* Quibus omnibus anxio tunc patriarchæ, providentiam ſuam et opem de cœlo miniſteriumque angelorum declarare voluit. Obſervandum porro, Chriſti figuram geſſiſſe tunc Jacob, cui promiſſa eſt terra Chanaan, typus cœleſtis

a) *Gen. XXVIII. 12. etc.*

patriæ, ſemenque eius quaſi pulverem terræ dilatandum ad Orientem, et Occidentem, et Septentrionem, et Meridiem: *et benedicentur in te, et in ſemine tuo cunctæ tribus terræ:* quod in Chriſti Eccleſia fuit impletum. Dilucidavimus hæc ſupra Cap. VIII. ubi vidimus Chriſtum Mariæ annunciatum ab angelo, regnaturum in domo Jacob in æternum, aliquando cum angelis deſcenſurum ad iudicium, et aſcenſurum in cœlum: Cap. XIV. item de ſtella oritura ex Jacob, quam viderunt naſcente Domino Magi incunabula Eccleſiæ inter gentes; et Cap. XV. de prophetia Annæ et Simeonis, videntium ſalutare Dei in Chriſto, lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis Iſrael, ſecundum promiſſionem factam patriarchæ Jacob, quando in ſomnis vidit angelos Dei aſcendentes et deſcendentes, et Dominum innixum ſcalæ, agnovitque evigilans vere Dominum eſſe in loco iſto, nec eſſe hic aliud niſi Domum Dei et portam cœli per Chriſtum, regnumque Chriſti in cœlis.

Quod vero aſcendentes et deſcendentes angelos ſuper filium hominis attinet, notandum, Nathanaelem profeſſum fuiſſe Chriſtum filium Dei, ac regem Iſrael; eoquod procul abſentem eum ſub ficu ſe vidiſſe teſtetur in ſpiritu, hinc reſpondet

Christus: *Quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis: maius his videbis*, cœlum nempe apertum, ut olim in ſomno Jacob, et angelos Dei aſcendentes et deſcendentes ſupra filium hominis. De Domino ſuperne in cœlo innixum ſcalæ nihil dicitur: quia Dominus ille Deus per incarnationem iam filius hominis in terris erat, et ad ſuum miniſterium angelos habuit aſcendentes et deſcendentes ſicut in Jacob fuit figuratum, paratumque in ipſo peregrinationis ſuæ exordio. Tanta autem eſt diſtantia inter typum et veritatem in Chriſto, quanta inter cœlum et terram, hominem et Deum, qualis eſt filius hominis, ad manifeſtationem divinæ gloriæ Verbi incarnati per Evangelium coram hominibus miniſterio angelorum Domino perinde, ac hominum, unigenito filio Dei præſtito. Potuit Nathanael facile a coætaneis ſuis comperiri, quæ fuerint circa Verbum incarnatum Filium Dei venientem in hunc mundum angelorum miniſteria, comperturus ipſe ac coram intuiturus eadem poſt reſurrectionem in aſcenſione præſertim in cœlum et futuro adventu ſecundo. Hac cum ſententia facile conciliantur, combinanturque pleræque omnes, quæ tam diverſæ occurrunt apud veteres perinde ac recentiores, ſimulque admirabilis illa ſimplicitas declaratur, qua Chriſtus Nathanaelis Filium Dei et regem Iſrael agnoſcentis ſic

confirmat fidem, ut ſimul ex typo in patriarcha Jacob Christi divina opera, poteſtas et imperium non ſolum, ſed etiam orbis felicitas in eius adventu demonſtretur, ut cum Jacob exclamare liceat: *Vere non eſt hic aliud niſi domus Dei: et porta cæli a).* „Viden' quomodo, de Nathanaele exclamat S. Jo. Chryſoſtomus in h. l. *b)* illum paullatim de terra erigat, et eo deducat, ne ipſum tanquam ſimplicem hominem effingat? Is enim cui angeli ſerviunt, ſuper quem angeli aſcendunt et deſcendunt, quo pacto homo fuerit? Ideo dixit *maiora his videbis*, quod explicans, angelorum miniſterium attulit, ac ſi diceret: Magnum tibi hoc videtur ô Nathanael! ideoque me ut Iſraelis regem confeſſus es; quid ergo dices, ſi videris angelos ſuper me aſcendentes, et deſcendentes?" Affert deinde varia angelorum miniſteria circa Chriſtum in paſſione, reſurrectione, aſcenſione, ipſa nativitate, et iam prius in annuntiatione, eritque aliquando omnium illuſtriſſimum angelorum ſuper filium hominis miniſterium, quando in maieſtate ſua ad iudicium venerit cum angelis ſuis.

Inſignem, ut iam notavi, hæc interpretatio lucem accipit ex Epiſt. ad Hebr. cap. I. ubi apoſtolus ex miniſterio angelorum di-

a) *Gen. XXVIII.* 17. b) *T. VIII. p.* 120.

 vinitatem Christi demonstrat: *Qui cum ſit, ait, ſplendor gloriæ, et figura ſubſtantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelsis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, et miniſtros ſuos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi: virga æquitatis, virga regni tui etc.* S. Augustinus in hunc Evangelistæ locum luculenter typum cum veritate in Christo, qui figuratus fuit in posito in titulum a Jacobo lapide fundente ſuper eum oleum, conciliat *a*): „Scalas vidit Jacob, et in ipsis ſcalis vidit angelos ascendentes et descendentes et lapidem, quem ſibi posuerat ad caput, unxit. Audistis, quia Messias Christus est . . . Quid autem vidit tunc in ſcalis? ascendentes et descendentes angelos. Sic est de Ecclesia, fratres. Angeli Dei boni prædicatores, prædicantes Christum, hoc est ſuper filium hominis ascendunt et descendunt.“ S. Augustinum, Ven. Beda, et alii ſequuntur in explicatione

a) *Tom. VII. in Jo.* 22. *Tom. VII. p.* 352.

typi in prædicatoribus. S. Zeno postquam ſingularem quorundam attulisset ſententiam, qui ascendentes angelos tenebrarum intelligunt, ipse vero censet angelos homines iustos et iniustos generaliter dictos; præterquam quod ad literam intelligitur de miniſtris angelis, „quos Domino, cum esset in terris fecisse invenimus officium, ſic etiam S. Thomas in h. l. a) Angeli autem, inquit, ascendunt et descendunt, in quantum ei adsunt obsequendo et miniſtrando. Dixit ergo: *Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum etc.* quasi dicat: Quia vere Israelita es, attende ad id, quod Israel vidit, ut ſcilicet credas me illum esse, qui est ſignificatus per unctum lapidem a Jacob: nam tu etiam videbis ſuper ipsum angelos ascendentes vel descendentes."

Quod si tamen ſtricte inhærendum ſit verbis: *videbitis angelos Dei ascendentes et descendentes ſuper filium hominis*, de omnium maxime conspicuo intelligendus est locus angelorum miniſterio, quando venerit in maiestate ad iudicandum cum ſuis angelis in illa die, ſicut in gloriosa ascensione ſua in cœlum, ubi iam denuntiaverunt etiam hunc ſecundum adventum angeli b): *Viri Galilæi, quid ſtatis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, ſic*

a) *T. III. p.* 457. b) *Act. I.* 11.

CAPUT XXIII.

veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Cæterum cum eſſet ex primariis Chriſti diſcipulus Nathanael ex plerorumque ſententia Bartholomæus apoſtolus, adfuit abſque dubio cum diſcipulis aliis huic apparitioni, qui Jo. XXI. 2. adfuiſſe legitur, quando Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam ad mare Tiberiadis apparuit, adfuturus etiam *cum venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, et omnes angeli cum eo etc.* a) Vidit igitur videbitque *cælum apertum et angelos Dei aſcendentes et deſcendentes ſuper filium hominis.*

CAPUT XXIII.

CHRISTUS MORTI TRADENDUS SUA VIRTUTE RESURRECTURUS.

Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Jo. II. 19.

Templum Dei in Chriſto deſtructum a Judæis, poſt triduum reſtitutum.

Cum primum Chriſtus ſuſcepto munere evangelizandi, ex Galilæa Hieroſolymam aſcendiſſet inſtante paſchate, inveniſſetque in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et numularios ſedentes, etſi hæc ad ſacrificia et oblationes fieri viderentur, indignatus tamen; *cum feciſſet quaſi flagellum*

a) *Matth. XXV.* 31.

de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque et boves, et numulariorum æs effudit, et mensas evertit, et his, qui columbas vendebant dixit: Auferte iſta hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Judæi, qui necdum, ut videtur, miraculum a Chriſto factum in Cana Galilææ intellexerant, ſignum ſibi oſtendi petebant, cur hæc, quæ modo retulimus, faceret; retuleruntque reſponſionem præſagam eorum, quæ eſſent ipſi in Chriſtum perpetraturi. Et ſane coram iudice caput hoc fuit accuſationis contra Jeſum dicto certe ſingulari ac mirabili: *Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, et poſt triduum reædificare illud,* accipientes rem de Hieroſolymitano templo ſuo, utique non multo poſt tempore a Deo vindice cum urbe deſtruendo; cum Chriſtus loqueretur de templo corporis ſui, quod multo meliore iure dicebatur templum Dei, utpote in quo omnis plenitudo divinitatis inhabitabat corporaliter, nec temporarium ſed æternum ſibi elegerat habitaculum, deſtructum quidem a Judæis ad tres illos dies, ut prædixerat Chriſtus, ſed propria virtute, quod nonniſi divinæ erat potentiæ, reſuſcitatum, ut promiſerat, *et in tribus diebus excitabo illud;* ut tunc recordati ſunt cum reſurrexiſſet a mortuis, diſcipuli eius. Judæi vero Chriſtum adhuc in cruce pendentem ſubſannabant *dicentes: Vah, qui deſtruis*

Caput XXIII. *templum Dei, et in triduo illud reædificas: ſalva temetipſum: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce a).* Non deſcendit tunc de cruce, ſed plus fecit ſua virtute reſurgens a mortuis, templum divinitatis ſuæ a Judæis deſtructum excitans, ut promiſerat: qui tanquam Deus poteſtatem habebat ponendi animam ſuam, et iterum ſumendi eam. Quod ſublime in Evangelio Christi craſsi Judæi non percipiebant: „Quis est enim, ut cum Novatiano loquar *b)*, qui dicit animam ſuam ſe poſse ponere, aut animam ſuam poſſe ſeſe rurſum recuperare, quia hoc mandatum acceperit a Patre? aut quis dicit deſtructum corporis ſui templum reſuſcitare rurſum, et reædificare ſe poſſe? niſi quoniam ſermo ille, qui ex Patre, qui apud Patrem, per quem facta ſunt omnia, et ſine quo factum est nihil, imitator paternorum operum et virtutum, imago inviſibilis Dei, qui deſcendit de cœlo, qui, quæ vidit, et audivit, teſtificatus est, qui non venit, ut faceret ſuam voluntatem, ſed potius ut faciat Patris voluntatem, a quo miſſus ad hoc fuerat, ut magni conſiliarii angelus factus arcanorum cœleſtium nobis iura reſeraret, quique Verbum caro factus habitavit in nobis, ex nobis hic Christus non homo tantum, quia hominis filius, ſed etiam Deus, quia Dei Filius comprobatur. "

a) Matth. XXVII. 40.
b) De Trinit. c. 21. *Bibl. PP. T. III. p.* 304.

Subdit Evangeliſta: *Cum ergo resurrexiſset a mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat, et crediderunt ſcripturæ, et ſermoni, quem dixit Jesus a).* Tardi quidem fuerant diſcipuli Domini poſt reſurrectionem Domini ad credendum: unde et Chriſtus iam aſcenſurus in cœlum *exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt b).* Sed hoc ipſum ad firmandam fidem noſtram facit: uti etiam Judæorum pervicacia et obcæcatio; quibus quidem citius mente occurrit, quæ Chriſtus de reſurrectione ſua prædixerat, quam diſcipulis Domini: dum *altera* mox *die, quæ est post paraſceven convenerunt principes ſacerdotum et Phariſæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati ſumus, quid ſeductor ille dixit adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam c).* Dumque poſt reſurrectionem *quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus ſacerdotum omnia quæ facta fuerant, congregati* illi *cum ſenioribus conſilio accepto pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia diſcipuli eius nocte venerunt, et furati ſunt eum, nobis dormientibus. Et ſi hoc auditum fuerit a præſide, nos ſuadebimus ei, et ſecuros vos faciemus. At illi, accepta pecunia fecerunt, ſicut erant edocti d).* Sicque

a) *Jo. II.* 22. b) *Marc. XVI.* 14.
c) *Matth. XXVII.* 62. d) *Ib. XXVIII.* 11.

omni ex parte mentita eſt iniquitas ſibi: dum et cuſtodes vigiles ſe dormiſſe mentiuntur: et clauſis oculis dormientes teſtimonium dant, vidiſſe ſe diſcipulos nocte venientes et cadaver furantes: et principes ſacerdotum cum ſenioribus præſidi ſuadent, ſecuroſque faciunt cuſtodes in collum ſuum mentientes.

Habemus hic quod in parabola de Lazaro *a)* Abraham diviti epuloni iam in inferno ſepulto reſpondit, cum is rogaret, ut aliquem ex mortuis mitteret in domum patris ſui, ut teſtetur quinque fratribus ſuis, ne et ipſi venirent in hunc locum tormentorum, pœnitentiam acturi, ſi quis ex mortuis ierit ad eos. *Ait autem illi: Si Moyſen et prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* S. Joannes *b)* vero cum memoraſſet teſtimonium perhibuiſſe turbam, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, et ſuſcitavit eum a mortuis, addit, propterea et obviam veniſſe in ſolemni ingreſſu in Jeruſalem: *quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum*, poſt innumera alia nihilominus increduli: quare ſubdit *c)*: *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum: ut ſermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui noſtro?*

a) Luc. XVI. 27. etc. *b) Jo. XII. 17.* *c) Ib. 37. etc.*

et brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum: ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et ſanem eos. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, et locutus est de eo. Isaiæ VI. nimirum, ubi ad finem dispersio gentis prædicitur, post everſionem ſcilicet urbis et templi, utpote, qui in crucifixo Christo templum Dei ſolverint. Caput XXIV.

CAPUT XXIV.

BAPTISMUS NOVI TESTAMENTI.

Amen, amen dico tibi, *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu ſancto, non potest introire in regnum Dei.* Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex ſpiritu, ſpiritus est. Jo. III. 5. 6.

Venit Nicodemus princeps Judæorum et magister in Israel ad Christum nocte, eumque ſatis officiose compellasse ſibi visus est: *Rabbi*, inquit, *ſcimus, quia a Deo venisti magister: nemo enim potest hæc ſigna facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Jam Regnum Messiæ.

CAPUT XXIV. Christus his ab eo dictis, interrumpit ſermonem, et velut ex abrupto, *Amen, amen dico tibi*, ait, *niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* „ Hoc, ſunt verba S. Jo. Chryſoſtomi *a*), ſi Judæi audiſſent, deridentes diſceſſuri erant. Hic autem diſcendi ſtudium præſetulit. Ideo enim obſcure ſæpe loquitur Christus, ut auditores et ad interrogandum promtiores, et ad operandum expeditiores reddat. “ Quærit Nicodemus: *Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex?* Judæus erat Nicodemus ex ſemine Abrahæ, cui et ſemini eius tantæ promiſſiones factæ fuerunt, ipſeque Meſſias inde certo oriturus ſperabatur; nec Nicodemus alienus erat mente, ut Jeſum hunc eſſe, tunc maxime deſideratum ſperatumque, ſibi perſuaderet, cumque iam a tribu Juda regnum eſſet translatum, ſibi in animum induceret, eum reſtituturum regnum Iſrael. At terrena adhuc et nimis humana de Christo cogitat Rabbi eum compellans. Equidem *ſcimus*, inquit, *quia a Deo veniſti;* Deum vero Jeſum non agnoſcit, nec aliquid in conditione eius humili perſpicit, quo eum idoneum credere poſſet, qui regnum Iſrael, quale ſibi Judæi de ſuo Meſſia animo conceperant, poſſet inſtaurare.

a) *Hom. XXIV. in Joan. T. VIII. p.* 140.

Regeneratio ex aqua et Spiritu ſancto.

Dumque Nicodemus a Christo audit, neminem poſſe videre regnum Dei, niſi quis renatus fuerit denuo, in carnali generatione hæret, nec quomodo homo, cum fuerit ſenex, poſſit naſci, capit. *Nunquid*, ait, *poteſt in ventrem matris ſuæ iterato redire, et renaſci?* Propius vero iam ad rem reſpondit Jeſus: *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Notus haud dubie Nicodemo erat Baptiſmus Joannis per aquam: erant porro et Judæis lotiones variæ et baptiſmata, quorum diſcrimen ut oſtenderet Chriſtus, dicit renaſcendum ei eſſe ex aqua et Spiritu ſancto, qui vellet introire in regnum Dei. Theocratiam vero Judæi in mente habebant terrenam, quam feliciſſimam ſibi pollicebantur a Meſſia reſtaurandam, ita ut ſubactis gentibus, ac regnis, rerum per orbem potiretur Judaica natio, ſemen Abrahæ, tribus Juda, regia Davidis ſtirps. Subdit vero Chriſtus: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: et quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*, ut, quid ſibi vellet renaſci ex ſpiritu, inſinuaret. „Ipſum, ſunt verba S. Jo. Chryſoſtomi *a*), abducit rebus omnibus ſub ſenſum cadentibus, neque ſinit corporeis oculis myſteria ſcrutari. Non de carne, inquit, diſſerimus, ſed de Spiritu, ô Nicodeme." Pergit Chriſtus: *Non mire-*

a) *Hom. XXVI. in Joan. T. VIII. p.* 149.

ris, quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuo. Spiritus ubi vult ſpirat: et vocem eius audis, ſed neſcis, unde veniat, aut quo vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. De vento libere flante, et omnia pervadente eſt comparatio, cuius ſonum audimus atque etiam eius motum et flatum ſentimus, ſed unde veniat, et quo vadat, neſcimus. Nihil ſublimius eſſe poteſt comparatione hac incomparabili ad deſignandas inviſibiles operationes Spiritus S. τȣ̃ πνεύματος, quæ vox ſimul ventum et ſpiritum ſignificat. Act. II. 2. habetur vox πνοη, ubi adveniente Spiritu S. factus eſſe legitur *repente de cælo ſonus; tanquam advenientis ſpiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant ſedentes:* ut nimirum ventus omnia penetrat, et pervadit: vehementia autem ſpiritus efficaciam operantis Spiritus S. declarat ac virtutem.

Iterum hæret aqua Nicodemo, quærïtque: *quomodo poſſunt hæc fieri?* Reſpondit Jeſus, et dixit ei: *Tu es magiſter in Iſrael, et hæc ignoras?* Oportebat magiſtros in Iſrael præ cæteris eſſe dociles, atque ad recipiendum Chriſtum, veritatemque evangelicam comparatos: ſed ſpiritus ubi vult ſpirat, nec a ſapientibus carnaliter percipitur; ſpiritualibus promiſſis autem animum noluerunt intendere Scribæ imprimis et Phariſæi, magiſtri in Iſrael, Evangelium Chriſti, et Apo-

stolorum eius reiicientes prædicationem: *Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si vobis dixero cœlestia, credetis?* De baptismo ſermo est Christo, quo nihil erat frequentius apud Judæos, Phariſæos præſertim rituum et cæremoniarum externarum tenaciores. *Phariſæi enim et omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum. Et a foro niſi baptizentur, non comedunt: et alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptismata calicum, et urceorum, et æramentorum, et lectorum a).* A vana autem observantia externæ ſolum lotionis et munditiei Phariſæorum revocat: qui etiam Christum ſecus facientem carpebant, uti Phariſæus ille offenſus Luc. XI. 38. *quare non baptizatus esset ante prandium? Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Phariſæi, quod deforis est calicis, et catini mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, et iniquitate. Stulti, nonne qui fecit, quod deforis est, etiam id quod deintus est, fecit?* Et Matth. XXIII. 26. *Phariſæe cæce, munda prius, quod intus est calicis et paropſidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum.*

a) *Marc. VII.* 3.

Caput XXV.

CAPUT XXV.

CHRISTI DIVINITAS.

Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si dixero vobis cœlestia credetis? *Et nemo ascendit in cœlum, niſi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Jo. III. 12. 13.

Generatio divini Verbi.

Explicaverat Christus Nicodemo regenerationem nostram, quæ fit ex aqua et ſpiritu, veluti homo constat ex corpore et anima: Dum vero, ut vidimus, Nicodemus vel in hac percipienda tantam fuerit expertus difficultatem; esset autem Nicodemi mens adhuc altius efferenda in fide, erudienda nempe de divinitate Christi, merito dicit Christus: *Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si vobis dixero cœlestia credetis?* Si generationem non capitis, quæ fit ex aqua et Spiritu S. in terra ſecundum gratiam, quid de ineffabili illa Verbi divini generatione? ut rem accipit S. Jo. Chrysostomus: „Si porro, pergit *a*), baptismum terrenum appellet, ne mireris: aut enim illud ita vocat, quod in terra conferatur; aut ita vocat ipsum comparando cum tremenda illa ſua generatione. Nam etsi hæc

a) *Hom. XXVII. in Jo. n.* 1. *T. VIII. p.* 154.

generatio cœleſtis ſit, ſi tamen comparetur cum illa ex Patris ſubſtantia generatione, terrena dici poteſt.“ Tanta vero est inter utramque generationem diſtantia, ut terrena hæc noſtra, ne quidem in comparationem divinæ illius veniat, licet nos filios Dei hæredesque regni cœleſtis faciat, civesque cœli; ſed per eum, qui descendit de cœlo, factus homo. „Ipse ad nos descendit, ut ait S. Leo *a*), ad quem nos non poteramus ascendere.“ Quia *nemo ascendit in cælum, nisi qui deſcendit de cælo.* Et S. Paulus, *qui descendit, ipse est et qui ascendit b*). „Hoc enim, ut in h. l. commentatur S. Thomas *c*), et in rebus naturalibus invenitur, quod unumquodque corpus tendit in locum ſecundum ſuam originem, vel naturam. Unde hoc modo poteſt fieri, ut aliquis per ſpiritum vadat ad locum, quem carnales nesciunt, ascendendo in cœlum; si hoc fiat per virtutem eius, qui descendit de cœlo: quia ad hoc descendit, ut ascendens nobis viam aperiret.“ *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.* Obiectionem hic præoccupat Theophanes, quæ fieri poſſit, quod, quando hæc dixerat Chriſtus, necdum tanquam filius hominis, cum natura ſcilicet humana, fuerit in cœlo,

a) *Serm. de Nativ. Dom.* *b*) *Eph. IV,* 10.
c) *T. III. p.* 482.

CAPUT XXV. respondet autem, dogma hic insinuari communicationis Idiomatum in ineffabili unione divini Verbi cum nostra natura. „Cum enim, inquit *a*), essent duæ naturæ in unam hypostasin inconfuse coniunctæ, altera quæ alterius ſunt participavit, ut naturarum proprietates de uno eodemque communiter dici possint. Cum igitur audis, in cœlum neminem ascendisse, nisi eum, qui de cœlo descenderat, Verbi divinitatem intellige; ideo enim continue addidit, *qui est in cœlo:* ſtultum quippe est, ita de carne cogitare, quia ea in cœlo extiterit, ſimulque cum Nicodemo disseruerit, cum trinam dimensionem, et circumscriptionem in loco naturaliter habeat. " Mysterii ſublimitatem textus græcus originalis melius ob oculos ponit *ȣδεὶς ἀναϐέϐηκεν* nemo ascendit in præterito; et *ὁ ὢν ἐν τῷ ȣρανῷ qui est*, quod Unigenitum, ſeu consubstantialem Deo Filium demonstrat, ut se Deus per Moysen manifestaverat; *qui est, misit me ad vos b*). Et: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est ὁ ὢν in ſinu Patris, ipse enarravit c*). Congruit huc locus Isaiæ XLVIII. 16, in quo S. Hieronymus mysterium S. Trinitatis notavit: *Non a principio in abscondito locutus ſum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: et nunc Domi-*

a) *Hom. III. p.* 14. *b*) *Exod. III.* 14.
c) *Joan. I.* 18.

nus Deus miſit me, et ſpiritus eius. Sic in ſenſu obvio verba hæc: *unigenitus filius, qui eſt in cælo*, unionem hypoſtaticam Verbi divini cum humana natura, Christi divinitatem, et myſterium Incarnationis ſublimisſime complectuntur, et ob oculos ponunt: dum nempe filius hominis in cœlo eſſe dicitur, Christus adhuc in terris degens, per ſuam divinitatem, qua de cœlo deſcendens ſinum Patris coæternus, et conſubſtantialis Dei Filius non relinquit.

CAPUT XXVI.

REDEMPTIO NOSTRA PER CRUCEM.

Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Jo. III. 14. etc.

Pergit Christus, Nicodemo exponere opus redemtionis humanæ conſummatum in cruce incomparabili inenarrabilique amoris exemplo, ut non ſolum Deus ipſe veniret, et

Christus pro nobis maledictum in ligno.

ſalvaret nos, ſed etiam fieret pro nobis maledictum ſuſpenſus in cruce. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis, qui pendet in ligno a).* Maledictum ſerpentem ob ſeductionem primorum parentum in paradyſo novimus, dum ex ligno vetito comedunt. Rationem legis ab apoſtolo memoratæ habuerunt Judæi, dum iubent frangi crucifixorum crura, ne remanerent corpora eorum ſabbato, erat enim magnus dies ille ſabbati; ſed Chriſtus morte ſua iam prævenerat, in quo impleri oportebat omnem ſcripturam, factuſque eſt maledictum illud pro nobis in cruce pendens in ligno Deut. XXI. 22. etc. *Non permanebit cadaver eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, quia maledictus a Deo eſt* (Hebr. maledictio Dei eſt) *qui pendet in ligno: et nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dedit tibi in poſſeſſionem.* Maledictionem hanc ad redemtionem noſtram, liberationemque a maledicto ſuſcepit Chriſtus in ligno crucis exaltatus, ſicut ſerpens æneus a Moyſe in deſerto. Qua de re Juſtinus M. dicit *b*): „Moyſen Deo aſpirante, et præcipiendo impellente, aes accepiſſe, et crucis effigiem effeciſſe:" rem ipſam vero ipſe Chriſtus Nicodemo declarat, cónſummaturque in hoc τὸ ὕψος in

a) *Gal. III. 13.* *b*) *In Apol. I. n. 60. p. 79.*

Evangelio Chriſti, ſublimitate myſterii iterum elucente in humilitate Chriſti, qui *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: humiliavit ſemetipſum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* „Jam autem, ſunt verba Theophanis Archiepiſcopi Tauromenitani *a*), æneum illum ſerpentem figuram Chriſti geſſiſſe aperte Evangelium prædicat. Neminem vero amantium Chriſti conturbet hoc, quod audit, in tam inviſum animal rationem tanti myſterii convenire. Si enim ſerpens pater peccati in ſacris litteris appellatur, quod etiam eſt ex hoc ſerpente progenitum, peccatum inquam, eodem ac genitor nomine ſerpens vocabitur. Cæterum noſtri cauſa Dominum factum eſſe peccatum, cum naturam noſtram obnoxiam peccatis aſſumſerit, teſtatur apoſtolus: *eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Aptatur igitur hoc ænigma Domino congruenter. Poſtquam enim nequiſſimi illi ſerpentes in univerſum genus humanum inſilientes, naturam noſtram peccatorum morſibus dilacerando confecerunt, ea de cauſa ſimilitudinem ſerpentis induit Deus, factus *in ſimilitudinem carnis peccati*, ut Paulus ait *b*): atque ita liberatur homo a peccato per eum, qui peccati habitum ſuſcepit, ſimilisque factus eſt nobis, quia ad ſerpentem ſponte acceſ-

Caput XXVI.

a) *Homil. III. p.* 15. *b*) *Rom. VIII.* 3.

CAPUT XXVI.

ſeramus: cuius opera mors a morsibus orta cohibetur, et ipſi ſerpentes crucis paſſione delentur. Et destructa quidem est mors a ſerpentibus importata, nimirum impietas; at morsus nondum omnino cessarunt. Etenim illa concupiscentia, quæ carni adversus ſpiritum inest, nondum perſecte compressa est. Nam et in illis, qui virtute maxime pollent, ſæpe concupiscentiæ morsus insurgunt. Sed qui in eum, qui ſublatus in crucem est, oculos coniicit, affectionem illam, motumque inordinatum depellit, et timorem Dei veluti quoddam pharmacum in venenum aspergit. Crucem porro aspicere nihil est aliud, quam ita instituere vitam, ut mundo mortua, et crucifixa ſit, et ad omne peccatum immobilis perseveret; propriamque carnem timore Dei configere, iuxta psalmistæ votum: clavus vero carnem cohibens, continentia fuerit. " Pergit Theophanes declarare, virgam Moysis in ſerpentem conversam Christi ſymbolum fuisse; nec est, quo magnitudo divini erga genus humanum amoris magis ob oculos poni possit, quam per hanc tantam unigeniti Filii Dei demissionem in ſimilitudine ſerpentis antiqui, morsumque illum lethalem, quem ab eo accepimus, a Christo exaltato in ligno in medelam versum, ut per Osee prophetam prædictum fuit: *De manu mortis liberabo eos,*

de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne a). A Chriſto autem in figura ſerpentis ænei oſtenſa veritas: *ſic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Quæ in verba commentatus S. Jo. Chryſoſtomus ſic Nicodemum alloquitur: „Ne mireris, ait *b*), quod ego exaltandus ſim, ut vos ſalutem conſequamini. Nam hoc ita Patri viſum eſt; et ſic ille vos dilexit, ut pro ſervis filium daret, et pro ingratis ſervis. Atqui neque pro amico quiſpiam id agat: *vix enim pro iuſto quis moriatur c*). Sed ille longiore uſus eſt ſermone, quia fidelibus verba faciebat; hic autem brevius Chriſtus, quia Nicodemum alloquebatur, ſed cum maiori emphaſi: quæ in ſingulis dictis obſervatur. His enim verbis: *ſic dilexit Deus mundum*, ingens amor ſignificatur. Multum quippe immo immenſum erat diſcrimen. Nam immortalis, et ſine principio, magnitudo infinita, ex terra et cinere formatos innumeris onuſtos peccatis, qui ſemper ſe offendebant, ingratos; hos, inquam, dilexit. Et quæ poſtea ſequuntur, perinde vehementia ſunt. Addit enim, *ut filium ſuum unigenitum daret*; non ſervum, non angelum, non archangelum ait. Atqui nemo unquam

CAPUT XXVI.

a) *Oſee XIII.* 14. *b*) *Hom. XXVII. in Jo. n.* 1. *T. VIII. p.* 156. *c*) *Rom. V.* 7.

Caput XXVI. vel circa filium tantum ſtudium adhibuit, quantum Deus circa ingratos ſervos. Paſſionem itaque non omnino aperte, ſed obſcure prædixit: emolumentum autem ex paſſione futurum clare dicit: *ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*" Omnia hic S. Juſtinus M. ad Diognetum n. 9. complexus eſt, „quomodo Deus præ immenſo, quo homines proſequitur amore, nos odio non habuerit, neque reiecerit, neque improbitatis noſtræ memorem ſe oſtenderit, ſed patienter eam tulerit, ac ſuſtinuerit? ipſe peccata noſtra ſuſcepit: proprium ipſe Filium pretium redemtionis pro nobis dedit, ſanctum pro iis, qui legem transgreſſi erant; nihil minus quam malum pro malis; iuſtum pro iniuſtis, corruptionis neſcium pro obnoxiis corruptioni, immortalem pro mortalibus. Quid enim aliud peccata noſtra potuit tegere, quam eius iuſtitia? In quo alio nos iniqui et impii iuſtificari poſſumus, quam in ſolo Dei Filio? O dulcem permutationem! O impervestigabile artificium! O beneficia exſpectationem omnem ſuperantia! Ut iniquitas quidem multorum in iuſto uno abſcondatur, iuſtitia autem *unius faciat, ut multi iniuſti iuſtificentur.*"

Suis fidelibus. Quemadmodum vero prius Chriſtus Nicodemum iam dedocuerat, in negotio

ſalutis non eſſe ſpectandum ſemen ac generationem carnalem, ut ſuffeni ſibi perſuaſerant Judæi de ſua gente et ſtirpe; ſed regenerationem ex aqua et ſpiritu, ita etiam hic excluſis operibus legis hunc veluti aſpectum in ſerpentem ſuſpenſum in ligno declarat; fidem nimirum in Chriſtum; *ut omnis, qui credit in illum, non pereat; ſed habeat vitam æternam.* Deinceps etiam illam arrogantiam Judaicam excludit, qua illi Meſſiam non ſolum quaſi ſibi ſoli natum exiſtimabant; verum etiam ad conterendas nationes mundi; ſubigendasque ad unum omnes imperio Judæorum, quorum iudicio, ſeu tribunali ſubdendus, imperioque eſſet pariturus mundus, errorem hunc dedocturus Nicodemum; *non enim*, ſubdit, *miſit Deus filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum:* Meſſiam nempe perinde omnibus nationibus fore redemtorem, non Dominatorem, ac iudicem terrenum, qualem Judæi Meſſiam affectabant, tribunalque ac thronum eius ſibi fingebant. At *qui credit in eum*, additur, *non iudicatur; qui autem non credit in nomine unigeniti Filii Dei, iam iudicatus eſt.* Jam illud etiam declarans, quod primum Joannes dixerat *a*), lucem in tenebris lucere, et tenebras eam non

a) *Jo. I.* 5. 11.

Caput XXVI. comprehendiſse; in propria veniſse, et ſuos eum non recepiſſe, *hoc est autem*, inquit, *judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera etc.* Ut ſermonem ſuum prosequitur Christus, Judæorum cæcitatem notans, quam eis toties, Phariſæis præsertim exprobravit verbis, tum ipso opere tenebris nempe illis, quæ factæ ſunt ab hora ſexta usque ad horam nonam, quamdiu Christus in cruce pependit; Judæi cæci vero ad hoc et alia omnia tunc etiam facta miracula, volebant, ut descenderet de cruce: *descendat nunc de cruce, et credimus ei a)*; dum contra fides redemtionis nostræ nos doceret, oportere exaltari Christum in cruce, *ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

a) *Matth. XXVII.* 42.

CAPUT XXVII.

SPONSUS, ET AMICUS SPONSI.

Qui habet ſponsam, ſponsus est: amicus autem ſponsi, qui ſtat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Joan. III. 29.

Discipuli S. Joannis ſtudio magiſtri et æmulatione quadam abrepti ei denuntiant: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Jesum insimulare videntur, ac si ingratum se exhiberet erga Joannem, qui tam præclarum ei testimonium dedisset. At Joannes hoc ipso ſuo testimonio eos revincit, melioremque mentem indit ac existimationem erga Christum allegoria, qua nihil tenerius, ſuaviusque excogitari queat, nihilque accomodatius Christo Filio Dei, ſese unione hypostatica, qua nihil coniunctius, intimiusque esse possit, cum natura humana copulanti: tum vero ex genere humano ſponsam *tanquam ſponsus procedens de thalamo ſuo a)* ſibi coniunxit Ecclesiam fide data et recepta, prout

Christus ſponsus.

a) *Psalm. XVIII. 6.*

CAPUT XXVII. per prophetam Oseam prænuntiavit: *Sponſabo te mihi in fide a)*: præfiguravitque in Sephora uxore Moysi *b)*; multo quippe maiori iure, congruentiusque Eccleſia ſponſa ſponso Christo dicere potest: *Sponsus ſanguinum tu mihi es*, utpote *quam acquisivit ſanguine ſuo. Dilexit Eccleſiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse ſibi gloriosam Eccleſiam non habentem maculam c)*. Prout est in Jerusalem præfigurata apud Ezechielem *d)*: *Et iuravi tibi, et ingressus ſum pactum tecum (ait Dominus Deus) et facta es mihi. Et lavi te aqua, et emundavi ſanguinem tuum ex te: et unxi te oleo etc.*

S. Joan. Baptista amicus ſponsi. Pronubus igitur huius ſancti coniugii fuit S. Joannes præcursor Domini. Dicit hic se iam amicum ſponsi, cuius prius dixerat se non esse dignum, ut ſolvat corrigiam calceamenti eius. „Non ut extollat et laudet se, hæc dicit, ſunt verba S. Jo. Chrysostomi *e)*, ſed ut ostendat, id se maxime curare, neque se invito, vel nolente, hæc fieri, ſed admodum cupiente et promovente, et hac de causa se omnia fecisse; quod admodum prudenter amici nomine ſignificavit. Non enim ita ſervi ſponsi ut

a) *Osee II. 20.* *b)* *Exod. IV. 25.*
c) *Ephes. V. 25.* *d)* *Ezech. XVI. 8. 9.*
e) *Hom. XXIX. al. XXVIII. T. VIII. p. 167.*

amici gaudent, atque his rebus lætantur. Non ergo ſe honore æqualem dicit, abſit; ſed ut gaudii ſui magnitudinem declaret, atque ut ſe eorum infirmitati attemperet, amicum ſe dicit. Miniſterium quippe ſubindicavit, cum dixit, ſe miſſum fuiſſe ante illum. Idcirco quod putaret illos hæc ægre ferre, ſe amicum ſponſi dicit eſſe, oſtendens ſe non modo non ægre ferre, ſed admodum gaudere." Legatur S. Laurentius Juſtinianus *de Caſto connubio verbi et animæ*. Cap. 9. T. I. oper. p. 192. etc. Ed. Venetæ An. 1751. Caput XXVII.

Sunt, quæ præ oculis habemus S. Joannis præcurſoris Domini verba, veluti clavis divini illius Cantici Canticorum Salomonis, cuius prima ſtatim verba: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, ardentiſſimum illud Patrum V. T. ineffabili elegantia exprimunt votum, ut tandem Verbum illud divinum ex ore æterni Patris procedens ſeſe per incarnationem in unione hypoſtatica humanæ naturæ velut oris oſculo iungat, humanumque genus complectatur: ut loquebatur olim per patriarchas et prophetas ſynagoga in Eccleſia ſponſa futura ſponſi ubera petens, *fragrantia unguentis optimis* in Chriſto uncto Domini: de quo *oleum*, pergit, *effuſum nomen tuum; ideo adoleſcentulæ dilexerunt te* pronubæ in V. T. ſponſæ in N. ac- Sponſa Eccleſia.

clamando: *Trahe me poſt te! curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria ſua: exultabimus, et lætabimur in te, memores uberum tuorum.* Hic cum ſponſa ſimul pronubæ loquuntur, cum ſynagogâ ſorore ſponſæ, de qua infra (VIII. 8.) ſponſus: *Soror noſtra parva eſt, et ubera* exuberantis gratiæ N. T. *non habet. Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt?* Quam nempe allocutionem iam David Ps. XLIV. 2. prælibans: *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam*, ait, *et obliviſcere populum tuum, et domum patris tui.* Ubera SS. Patres vetus et novum teſtamentum interpretantur, de quo Prov. V. 19.: *Ubera eius inebrient te in omni tempore; in amore eius delectare iugiter.* Ad hoc quod Salomon promittit, vult David ut inclinet filia Jeruſalem aurem ſuam: *Et concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, et adorabunt eum*, Chriſtum ſponſum Eccleſiæ.

Paſſim ſponſa filias Jeruſalem velut pronubas novi coniugii compellat; ſponſus etiam eâsdem filias Jeruſalem ter adiurat his verbis: *Ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit a)*, nova nimirum ſponſa Eccleſia, ſua ſponte per prædicationem Evangelii evigilatura ad vocem ſponſi, de qua Joannes de ſe præcur-

a) *Cant. Cant. II. 7. III. 5. VIII. 4.*

sore amico ſponsi, *qui ſtat*, inquit *a*), *et audit*, *gaudio gaudet propter vocem ſponsi*; quasi dicat: *Vox dilecti mei; ecce! iste venit ſaliens in montibus*, *transiliens colles*; dum nimirum ſponso Christo, adhuc in utero matris, abeuntis in montana, latente, *exultavit infans* (Joannes hic) *in utero matris* Elisabeth: prout, *ſimilis est*, pergit in Cantico ſponsa (cuius ſponsum Christum vox Joannis clamantis in deserto prænuntiat) *dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum: en! ipse ſtat post parietem nostrum*, *respiciens per fenestram*, *prospiciens per cancellos* veteris ſcilicet testamenti.

Jam prorumpit vox ſponsi Verbi incarnati ad novam futuram ſponsam ex ipsius ſponsæ ore *b*): *En! dilectus meus loquitur mihi: Surge propera amica mea*, *columba mea*, *formosa mea*, *et veni. Jam enim hyems transiit*, *imber abiit*, *et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra*, *tempus putationis advenit*, et quæ ſequuntur, quæ explicatione non indigent ad felicem veteris in testamentum novum tam vivis coloribus demonstrandum transitum, de quo ſermonem ſponsa prosecuta, *dilectus meus mihi*, inquit *c*), *et ego illi*, *qui pascitur inter lilia* (virgineæ matris) *donec aspiret dies*, *et inclinentur umbræ* veteris testamenti. Prænuntiavit aspirantem iam

a) *Jo. III. 29.* *b*) *Cant. C. II. 10.* *c*) *Ib. 16.*

diem hanc præcurſor Domini *a*) : *Hinc venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine.*

Fruſtra in lectulo ſuo dilectum quæſivit ſynagoga, dum is se naſcens cuſtodientibus vigilias ſuas paſtoribus per angelos denuntiat. Fruſtra paſtores indignata, circuiens civitatem per vicos et plateas quærit dilectum ſynagoga: *Quæſivi illum, et non inveni b*). Celebrat quidem pulchritudinem ſponſæ ſynagoga ſoror ſponſæ per prophetas et apparatum totius V. T. *Donec aſpiret dies, et inclinentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris c*) calvariæ ſcilicet, ubi crucifixit ſynagoga Filium Dei. *Erat autem in loco ubi crucifixus est hortus d*). Ibi poſitum in monumento iacere adhuc, reſurrectionem non credens perſuaſa ſynagoga acclamans ſponſæ ſoror *hortus concluſus ſoror mea ſponſa* ingeminat, *hortus concluſus, fons ſignatus* baptiſmi nimirum. Synagoga vero ſponſum in hortum ſuum invitat: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, et comedat fructum pomorum ſuorum e*). Meſſiam nimirum ſynagoga apud se manſurum ſperabat hortum ſuum Meſſiæ hortum futurum; ſponſamque invitans, *veni*, inquit, *in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myr-*

a) *Jo. I.* 7. *b*) *Cant. C. III.* 1. *c*) *Ib. IV.* 6. *d*) *Jo. XIX.* *e*) *Cant. C. V.* 1.

rham meam, quam equidem ſynagoga Meſſiæ ſuo paravit cum aromatibus pro futura ſponſa ſponſi paſſionibus participe: dumque dormit, cor tamen vigilat ad vocem dilecti pulſantis: *Aperi mihi ſoror mea etc. a)*; mittitque ſponſus manum ſuam omnipotentiæ ſuæ per patrata in ſynagoga miracula per foramen *b)* portæ, veteris nimirum teſtamenti unde Chriſtus prodiit, infremuerunt viſcera eius, ut habet textus hebraicus originalis. *Surrexi*, pergit *c)*, *ut aperirem dilecto meo*; ardenter Meſſiam efflagitans *manus meæ ſtillaverunt myrrham, et digiti pleni myrrha probatiſſima* quo ſcilicet ſponſa patienti amarior. Dum iam morituro in cruce Chriſto peſſulum oſtii ſui aperire videtur dilecto clamans *d)*: *Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce et credimus ei. At ille declinaverat, atque tranſierat. Anima mea liquefacta eſt, ut locutus eſt*, dum *e) omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, et videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur. Quæſivi*, pergit, *et non inveni eum: vocavi et non reſpondit* amplius ſynagogæ fruſtra adiuranti filias Jeruſalem, *ſi inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore lanqueo f)*, Meſſiam nempe ſuſpirans ignara ſimul ſponſam allocuta: *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulie-*

a) Cant. C. V. 2. b) Ib. 4. c) Ib. 5. d) Matth. XXVII. e) Luc. XXIII. 48. f) C. C. V. 8.

rum, Eccleſia Chriſti ſponſa? *qualis eſt dilectus ex dilecto*, *quia ſic adiuraſti nos*, filias nimirum Jeruſalem, quæ Chriſto fideles adhæſerunt, aut in ſynagoga apoſtolos, primamque Eccleſiam genuerunt, atque agnoſcere meruerunt ac dicere de Chriſto *a*): *Dilectus meus candidus et rubicundus* ex profuſo ſanguine, *electus ex millibus.*

Habent hactenus præ oculis ſuis Judæi ſponſum, ſed non agnoſcunt electum præ millibus, deſideranter quærunt diſperſi per orbem chriſtianum Eccleſiam, et adhuc quærunt *b*): *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum.* Quod adhuc ſperatur de convertendis ad Chriſtum Judæis, ad quos clamat ſponſa *c*): *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum* de quo mox initio c. I. 12. ſponſa, *faſciculus*, ait, *myrrhæ dilectus meus mihi* deſcendiſſe dicitur in hortum ſuum, *ut paſcatur in hortis, et lilia colligat* virginitatis, cuius ignara fuit ſynagoga, eſtque propria ſponſi et ſponſæ Eccleſiæ novi teſtamenti, ut iam dixerat, iterumque hic repetit ſponſa *d*): *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.*

a) *Cant. C. V.* 10. *b*) *Ib.* 17. *c*) *Ib. VI.* 1.
d) *Ib.* 2.

Alloquitur poſtea ſponſus pronubas filias Jeruſalem, ſynagogam, quæ ipſa patriarcharum et prophetarum vota pandit; ſed iterum adiurantur filiæ Jeruſalem *a*), *ne ſuſcitent, neque evigilare faciant dilectam, donec ipſa velit;* quamque egreſſam dum vident, miratæ quidem clamant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*, Eva nimirum eſu pomi corruptionis noſtræ mater concupiſcendo fructum arboris a conditoris ſui averſa dilectione; quam vero unice Chriſtus repoſcit in nova ſua ſponſa Eccleſia, nil in ſua lege, novo teſtamento, niſi dilectionem flagitans, ſponſam allocutus *b*): *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum; ut ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum* (æterni ſcilicet, in inferno eis parati, qui a charitate deficiunt) beata vero ſors eorum, quorum *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Novo teſtamento propria eſt hæc dilectio: quare de ſynagoga ſorore ſponſæ, *ſoror noſtra*, pergit *c*), *parva et ubera*, ut iam de V. T. gratia va-

CAPUT XXVII.

a) *Cant. C. VIII.* 4. *b*) *Ib.* 6. *etc.* *c*) *Ib.* 8.

cuo expoſuimus, *non habet*; ſponſa autem, *ego*, ait, *murus*, *et ubera mea ſicut turris.* Jam bis ſupra c. IV. 4. VII. 4. collum, naſus quoque ſponſæ turri comparatur: *Sicut turris David collum tuum*, *quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea*, *omnis armatura fortium*, ſponſam nimirum Eccleſiam invictam deprædicans; unde etiam his c. VIII. 10. murum ſe ſponſa nominat, quo tutam ſe præſtet, ac pacis ſecuram: ut paulo ante conteſtabatur: *Ex quo facta ſum coram eo*, *quaſi pacem reperiens*, quam nempe nato Chriſto ſponſo angeli denuntiarunt hominibus in terra, quæ deinceps *vinea fuit pacifico* (cuius figura erat Salomon rex pacificus) *in ea*, *quæ habet populos a)*, quibus Chriſtus vineam ſuam, quam iuxta parabolam evangelicam Matth. XXI. 33. cœleſtis Paterfamilias *plantavit*, *et ſepem circumdedit ei*, *et fodit in ea torcular*, *et ædificavit turrim*, ablatam parricidis ſponſi Judæis *locavit aliis agricolis*, *qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Nempe *tradidit eam cuſtodibus: vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici*, *et ducenti his*, *qui cuſtodiunt fructus eius b)*. Demum ſponſus in concluſione Cantici in ſponſa Eccleſia militante in terris deſiderium regnantis cum ſponſo in cœlis inflammans, *Quæ habitas in hortis*, ait c), *amici auſcultant*

a) *Cant. C. VIII.* 11. b) *Ib.* 12. c) *Ib.* 13. *et* 14.

te: fac me audire vocem tuam. Sponſa vero poſt fata illuc avolanti ſponſo acclamat: *Fuge dilecte mi, et aſſimilare capreæ hinnuloque, cervorum ſuper montes aromatum* in cœlis.

CAPUT XXVIII.

INCREMENTUM ECCLESIÆ CHRISTI; DIMINUTIO SYNAGOGÆ.

Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, et de terra loquitur. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Joan. III. 30. 31.

Christus cum Ecclesia ſua crevit, exaltatus in cruce, Joannes capite diminutus cum ſynagoga.

Obſerva bis repeti *ſuper omnes eſt*, *et de terra eſt*, illud de Chriſto (quem Pater cœleſtis unigenitum Filium ſuum miſit in terram) hoc de ſe, dicit Joannes Baptiſta: qui iam teſtatus fuerat ſe homuncionem veluti non eſſe dignum ſolvere corrigiam calceamentorum eius. Sic etiam hic dicit, ſe adhuc minui oportere, Chriſtum autem creſcere ſponſum illum, cui repudiata ſynagoga, genteque Judaica, Eccleſia per orbem terrarum erat coniungenda. Hoc breviſſime ſub ſynagogæ nomine expreſſit S. Joann. Chryſoſtomus *a*): „*Illum oportet*

a) *Hom. XXIX. n. 3. T. VIII. p.* 168.

Caput XXVIII.

creſcere, me autem minui. Hoc eſt noſtra ceſſaverunt, quæ vero illius ſunt augentur." Et Theophanes *a*): „Incrementum ſcilicet Evangelii, et legis diminutionem indicans."

Ubi Joannis vox deſiit, Christi Verbi divini prædicatio cœpit.

Joannes deſiit vivere, cum vix eſſet cœptum prædicari Evangelium a Christo, capite diminutus? Vox tunc clamantis deſiit, cum verbum divinum incarnatum inſonare cœpit. „Ergo attendite iam, cum S. Augustino loquor *b*), quo pertineat, *illum oportet creſcere, me autem minui.* Attendite, ſi poſſim eloqui; ſi, non dicam inſinuare, ſed ſaltem cogitare ſufficiam, quo modo, qua ratione, qua intentione, qua cauſa, ſecundum diſtinctionem, quam locutus ſum *vocis*, et *verbi*, dixerit ipſa *vox* ipſe Joannes: *Illum oportet creſcere, me autem minui.* O magnum et mirabile ſacramentum! Attendite perſonam *vocis*, in qua perſona erant ſacramenta omnium vocum, dicentem de perſona *Verbi*: *Illum oportet creſcere, me autem minui.*" Explicat deinde ſublimiter admodum, quomodo vocis miniſterium minuitur creſcente profectu mentis ad verbum, usque ad fruitionem in cœlis, dum Deum videbimus, ſicuti eſt. „Cum eum, concludit, videbimus ſicuti eſt, nun-

a) *Hom. L. p.* 345. *b*) *Serm. in Nativ. Joan. Bapt. CCLXXXIX. n.* 5. *T. V. p.* 1156.

quid ibi recitabitur Evangelium? Nunquid prophetias audituri ſumus? Nunquid epiſtolas Apoſtolorum lecturi ſumus? Quare? Quia deficiunt voces, creſcente verbo: quia *illum oportet creſcere, me autem minui.* Et verbum quidem per ſe ipſum nec creſcit, nec deficit in ſe. In nobis autem creſcere dicitur, cum proficiendo in illum creſcimus: ſicut creſcit in oculis lux, cum acie convaleſcente videtur amplius, quæ acie languente minus utique videbatur. Quæ minor erat oculis ægris, maior eſt oculis ſanis: cum ipſa per ſe ipſam nec ante imminuta ſit, ne poſtmodum creverit. Minuitur ergo miniſterium vocis, cum ſit mentis profectus ad Verbum. Ita oportet Chriſtum creſcere, Joannem autem minui. Hoc eorum indicant paſſiones. Nam Joannes minutus eſt, cæſus capite; Chriſtus exaltatus eſt, crevit tanquam in cruce. Hoc eorum indicant natales dies. Nam a Natali Joannis incipiunt dierum detrimenta; a Chriſti autem renovantur augmenta. " Poſtremum hoc iam S. Doctor ſerm. XI. *a)* in Natali Domini notaverat; revocatque in memoriam: quod etiam S. Bernardus ſerm. de S. Joanne Bapt. in eadem præcurſoris verba perorat: „Quomodo, inquit *b)*, minui? Splendore utique, non fervore. Retraxit radios, recollegit ſe, ne fieret,

a) Serm. CXCIV. n. 1. *p.* 899. *b) Tom. III. p.* 987.

CAPUT XXVIII. ſicut is, qui totum profert Spiritum ſuum. *Illum*, inquit, *oportet creſcere*, qui exhauriri non poteſt, de cuius plenitudine omnes accipiunt: *me autem minui*; cui datus eſt ſpiritus ad menſuram: et danda magis opera, ut ardere ſemper valeam, quam lucere. Præceſſi ſolem tanquam ſidus matutinum: abſcondi neceſſe eſt, orto iam ſole." Eadem comparatione Luciferi uſus S. Thomas in h. l.: „Sicut, ait *a*), in cœlo Lucifer præcedit ſolem ad illuminandum, quo veniente ceſſat eius lux; ita Joannes præceſſit Chriſtum: unde Lucifero comparatur. *Nunquid produces Luciferum b*)? Significatur hoc etiam in nativitate Joannis, et in morte eius. In nativitate quidem, quia natus eſt Joannes eo tempore, quo dies decreſcere incipiunt, ſcilicet octavo Kalendas Januarii. Quantum ad mortem vero, quia Joannes mortuus minoratus per capitis abſciſſionem; Chriſtus vero ſublimatus per crucis exaltationem." Quis vero nobis ſenſus eſſe debet in comparatione S. Jo. Baptiſtæ, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum, ut illud ſemper propoſitum nobis habeamus in corde, ore, et opere, omnibus ſtudiis et actionibus noſtris, gloriam Dei unice quærendam. Sic quisque ſemper apud ſe cogitet, in humilitate humiliationeque ſua: *Illum oportet creſcere, me autem minui.*

a) *Lect V. in cap. III. Jo. p.* 492.
b) *Job XXXVIII.* 32.

TOMI PRIMI FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible]
C
5[illegible]–[illegible]